De symbolis Pythagoreis.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICO GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

FRIDERICUS BOEHM

BEROLINENSIS.

PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITUR DIE IV. MENSIS MARTII MDCCCCV.

BEROLINUM 1905.

TYPIS IMPRESSIT M. DRIESNER, BERLIN C. 2, KLOSTERSTRASSE 45.

Judicaverunt de hac dissertatione:
HERMANNUS DIELS
JOHANNES VAHLEN.

Ervini Rohdii manibus.

Symbolorum Pythagoreorum sub nomine quae a scriptoribus antiquis traduntur sententiae, res amplectuntur diversissimas. Juxta invenimus cum locos communes philosophiae moralis tum praecepta et ad vitam domesticam pertinentia et ad deos rite colendos et ad certos cibos reiciendos. Quorum quae valuerint in societate Pythagoreorum vix diiudicari potest, cum iam apud Peripateticum illum, qui librum de Pythagoreis Aristoteli attributum composuit, sive ipse fuit Stagirites sive discipulus eius, symbola diversissima commixta legamus (Jambl. V. P. § 82 — 86, de origine Aristotelica loci cf. Rohde, Kl. Schr. 2, 139). Tamen non errabimus sententias ethicas temporibus recentioribus attribuentes, cum Pythagoreorum qui supererant nonnulli coeperunt id agere, ut imaginem magistri omni ornamento mystico nudatum suum ad arbitrium exprimerent, cuius rationis inprimis ea sunt exemplo, quae Aristoxenus Tarentinus ab ipsis Pythagoreis accepta litteris mandavit.

Cum ethica illa praecepta per se primo obtutu intelligantur, cetera symbola antiquis iam temporibus multorum virorum doctorum sagacitatem incitaverunt, ut munus interpretis subirent. Velut Anaximander quidam Milesius temporibus Artaxerxis Mnemonis (405—359 a. Chr) etiamtum vigente Pythagorae schola scripsit *ἐξήγησιν συμβόλων Πυθαγορείων* (Suid. s. v. *Ἀναξίμανδρος*. Diog. L. 2. 12). Post eum praeter Peripateticum illum, quem item symbolis colligendis et explicandis operam dedisse apparet, libros peculiares de symbolis Pythagoreis composuerunt Alexander Polyhistor (Clem. Strom. 1. 15, 70. 2 p. 57, 15. Df., Cyrill. c. Jul. 4. 133., 9 p. 106 Migne) et Androcydes Pythagoreus*) et Jamblichus Chalcidensis magnam partem Protreptici sui (cap. 21) in eadem re consumpsit. Item temporibus litterarum renascentium multi viri docti symbola tractabant. (cf. quos enumerat Fabr. Bibl. Gr. 1. 788 sq. Harl., Latendorf, Sebastiani Franci de Pythagora eiusque symbolis disputatiio, Schwerin 1869) et recentiorum Goettlingus uberius de eis disseruit (Ges. Abh. 1. 278 sq. 2. 280 sq.).

Duae maxime quaestiones exstant in symbolis Pythagoreis. Altera est fontium: Explorandum est, quae et quales

*) Fragmenta Androcydis Hoelkius (v. p. 3) collegit. De temporibus Androcydis ambigitur. Hoelkius Zellerum secutus contendit librum περὶ συμβόλων saeculo primo a. Chr. medio a falsario quodam Androcydi subditum esse, qui a Theophrasto et Clearcho Solensi citatur. Contra Freudenthalius (Pauly-W. 1. 2149) suspicatur profecto illum librum a Pythagoreo Aristoxeni aetate conscriptum esse. cf. praeterea Mewaldt, De Aristoxeni Pythagoricis sententiis et vita Pythagorica. p. 2[1].

antiquae symbolorum collectiones fuerint et quibus in scriptoribus vestigia eorum inveniantur. Constantinus Hoelkius, Ervini Rohdii discipulus, hoc perficere conatus est (De acusmatis sive symbolis Pythagoricis, Kiliae 1894). Quem virum doctum quamquam demonstravisse concedendum est, qui scriptores Androcydem secuti sint, tamen post eum quoque multum abest, ut tenebrae fontium sublatae sint, cum praesertim adhuc totum incertum sit, num vel ubi reliquiae Anaximandri et Alexandri Polyhistoris exstent. Altera quaestio constat in symbolis interpretandis, quam ego hoc opusculo adire conatus sum. A fontibus indagandis abstinui, cum id maxime egerim, ut in pluribus symbolis demonstrarem, qualibus ex cogitationibus orta essent atque hac ratione partem quamvis exiguam ad historiam superstitionis antiquae componendam conferrem. Qua in re persequor viam olim ab Rohdio monstratam, qui epistula quadam ad Ottonem Crusium data scribit magnopere optandum esse, ut symbola Pythagorica hac ratione tractentur, atque queritur Hoelkium dissertatione sua interpretis munere neglecto soli fontium quaestioni operam dedisse (O. Crusius, Erwin Rohde p. 162). Neque interest multum in opinionibus et consuetudinibus superstitiosis, quales plurimis symbolis subsunt, quo primo tempore in litteris inveniantur. Nihil enim fere tanta pervicacia est quanta superstitio, ita ut consuetudines, quae a scriptoribus antiquissimis, sicut ab Hesiodo, tanguntur, forma nihil mutata IV vel V saeculo p. Chr. rursus emergantur; et multas superstitiones ex recentissimis demum vilissimisque scriptoribus cognoscimus neque tamen dubitare debemus, quin antiquissimis temporibus ortae sint.

Supra diximus a quarto saeculo a. Chr. n. usque ad nostram aetatem viros doctos studuisse, ut verum sensum symbolorum explorarent. Qua in re et antiquorum et recentiorum omnes fere ea ratione ac via utebantur, ut symbola incitamenta ad virtutes putantes subtilissimis interpretationibus probabilia quaedam ex eis latebris in lucem proferre conarentur. Quae interpretandi ratio praecipue Jamblichi, qui capite XXI Protreptici omnibus symbolis nihil aliud subesse docet, nisi ut ad philosophiam Pythagoreorum recentiorum capessendam excitent, neque minus Goettlingi ad rationem omnia referentis, non multum abest, quin risum saepe nobis moveat. Unus inter antiquos symbolorum interpretes Peripateticus ille, qui librum de Pythagoreis conscripsit, veram symbolorum vim aliquo modo perspexit, cum omnia fere eum rationibus religiosis cohaerere conatur evincere. Contra Androcydes princeps est eorum, qui symbola ethice interpretantur. His temporibus, quamquam iam Lobeckius (Agl. 248 sq., 892 sq.) et G. Hermannus (Opusc. 6. 250) occasione data recte de symbolorum singulorum origine quaedam dixerant, tamen Rohdii maxime

opera factum est, ut hodie nemo iam illa ratione uti videatur. Rohdius enim identidem (Ps.[2] 1.241[3], 245[1], 2.85[2], 126[1], 164[1]. Kl. Schr. 2, 109. 139) demonstravit illa praecepta tantum abesse a virtute occulta, ut ex antiquissima populi superstitione omnia fere enata sint, idque et Graecorum et Romanorum et aliarum gentium exemplis confirmavit. Hac via ingredienti magnopere est dolendum per Graecos ipsos de superstitionibus suis perpauca esse tradita eaque, quae exstant, ex cuiusvis generis scriptis summo labore colligenda esse, ita ut fieri non possit, qui ninscius multa, quae fortasse ad id quod spectat summi momenti sunt, praetermittat. Nam neque historia superstitionis antiquae, ex qua commode haurire possimus, adhuc conscripta est neque ea, quae Riessius (Pauly-Wiss. s. v. „Aberglaube") vel Krollius („Antiker Aberglaube". Hamburg 1897) collegerunt, sufficiunt.

Si semper antiquis tantum scriptis ad symbola explicanda uti mihi proposuissem, desperandum fuit, in multis enim casui debetur, quod illa ratione huius vel illius symboli sensus explicetur. Itaque saepissime alio confugiendum erat. Atque primum quidem nonnulla profeci libris quibusdam perlectis, qui et a Graecis et a Germanis de vita atque moribus Graecorum recentiorum conscripti sunt. Nam hic quoque saepenumero cognosci potest, quanta pervicacia opiniones quaedam superstitiosae ab antiquissimis Graeciae temporibus usque ad hunc diem permanserint. Cuius modi reliquias non tam ex Graecorum (Bybilakis, Neugriech. Leben. Berlin 1840. *Πολίτης μελέτη ἐπὶ τοῦ βίου τῶν νεωτέρων Ἑλλήνων, Ἀθῆναι* 1875), qui satis pauca praebent, quam ex Germanorum libris cognovi, cum ex C. Wachsmuthii „Das alte Griechenland im neuen" tum ex B. Schmidtii libris „Volksleben der Griechen", cuius operis priorem tantum partem publici iuris factum esse maxim, dolendum est, et „Märchen, Sagen und Volkslieder der Neugriechen".

Deinde cum aliarum quoque Europae gentium inprimis Germanorum saepe mirum in modum consentiant cum Graecorum, mihi gravissima quaeque neglegenda non esse videbantur, quamquam ad confirmandum eis magis quam ad demonstrandum utendum esse putavi. Hunc in usum maxime adhibui collationem A. Wuttkii: „Der deutsche Volksaberglaube der Gegenwart". 3. Auflage v. Elard H. Meyer, Berol. 1900, qua in citanda W littera utar. Quo tamen libro quamvis diligentissime et uberrime scripto non inutilis facta est Jacobi Grimmii Mythologia Germanorum (ed. IV cur. E H. Meyer). Praeterea nonnulla recepi ex Weinholdii et Boltii „Zeitschrift des Vereins für Volkskunde".

Postremo ad antiquas superstitiones illustrandas campos etiam longinquiores adii, qui tamen nunc ei, qui originem con-

suetudinum et opinionum superstitiosarum indagat, non iam incogniti sunt, mores dico gentium ferarum extra Europam habitantium. Cum enim nulli iam liceat dubitare, quin Europae quoque populi eosdem gradus transierint quibus illae nunc sunt, illarum consuetudines ac religiones summi momenti sunt ad superstitionem antiquam illustrandam. Qua via ac ratione quisquis utitur iure Thucydidem testem atque auctorem nominabit, qui ludis Graecorum et barbarorum inter se comparatis ita pergit (1,6,6.): *πολλὰ δ'ἂν καὶ ἄλλα τις ἀποδείξειε τὶ παλαιὸν Ἑλληνικὸν ὁμοιότροπα τῷι νῦν βαρβαρικῷι διαιτώμενον.* Quo autem maius periculum est, ne nimis similitudinibus interdum fortuitis confidamus, eo diligentius studii, ne illis nitar nisi convenientia prorsus manifesta. Omnia fere, quae hunc in usum conferrentur, praebuit J. G. Frazeri: „The golden bough“ (Ed. II. London 1900). Ne longus fierem semper ipsum Frazerum (sub Fr. nota) non eius fontes attuli*).

LXXV symbolorum, quae collegi, maxime ea tracturus sum, quae ex superstitione populi orta esse censeo. Ea, quae huc non pertinent, infra in appendice collocavi. Illorum autem primum in disputationem veniant, quae sunt

I. De rebus sacris.

1) *εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ κατὰ τοὺς δεξιοὺς τόπους, ἐξιέναι κατὰ τοὺς ἀριστερούς.* Jambl. V.P. 156.

Semper fere apud gentes Indogermanicae originis pars dextra fausti sinistra infausti ominis est; apud solos Romanos contraria valet ratio. Itaque Pythagorei cum opinionibus populi fecerunt, cum in tabula rerum contrariarum hanc esse rationem statuebant: *πέρας : ἄπειρον = δεξιὸν : ἀριστερὸν = ἀγαθὸν : κακόν.* (Aristot. Metaph. 986 a 23 sq.) cf. etiam Aristot. de an. inc. 706 a 30 sq. b 13., de part an. 665 a 22 sq. Cuius opinionis quae sit causa, quamquam multi viri doctissimi uberrime disseruerunt, (praeter ceteros cf. Grimm, Geschichte der deutschen Spr. 980 sq. Schrader, Sprachvergl. 369 sq. Reall. der Indogerm. Alt. 663 sq.) adhuc latet maximeque ambigitur. Certe ex ea opinione, cui pars dextra praestantior videbatur, hoc symbolum ortum est. In templa intrantibus via dextra felicior est, ut earum duarum viarum, quae secundum Orphicos ad orci introitum sunt, dextra fert ad *χῶρον εὐσεβῶν*, sinistra ad eum locum, quo *οἱ ἄδικοι* puniuntur, v. Rohde Ps. ²2.220¹. Item nostris quoque temporibus in fabellis Graecorum recenti-

*) Ne opusculum meum tamquam coloribus nimis variis ac diversis tinctum videatur, ut potui, sermone Latino usus sum. Tamen ubi res poscebant neque suam inverti naturam patiebantur, frustula aliena inserere coactus sum.

orum via dextra faustiore omine initur (Schmidt, Gr. Märchen, Sagen etc. Nr. 7 et 8). In Gervasii de Tilbury Otiis Imperialibus (scr. 1211) narratur Neapolis urbis duplices fuisse portas, quarum per dextram si quis urbem ingressus esset pro fausto, si per sinistram pro infausto omine acceptum esset. (Gerv. de Tilb. ed. Liebrecht p. 16). — Quod pergitur: *ἐξιέναι κατὰ τοὺς ἀριστερούς* tantum responsionis causa additum esse manifestum est.

2) *εἰς ἱερὸν εἰσιέναι καθαρὸν ἱμάτιον ἔχοντα καὶ ἐν ᾧι μὴ ἐγκεκοίμηταί τις*, Jambl. V. P. 153.

Eos, qui deorum templa intrent, et corpore et vestitu puros esse debere per totum orbem omniaque tempora creditur, ita ut pluribus demonstrari non opus sit. Satis habeo addere saepe in cultu Graecorum non solum pura sed etiam alba vestimenta posci, qui color deis gratissimus esse putabatur, v. Plato, leg. 956 A: *χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη, καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ· βάμματα δὲ μὴ προσφέρειν.* cf. etiam leges sacras Andaniae et Lycosurae (Dittbg. Syll. [2] 2 p. 464. p. 803) et Lucian. Nigr. 14, Plut. Arist. 21., Diels, sib. Bl. p. 52 adn. Quod adiungitur *καὶ ἐν ᾧι μὴ ἐγκεκοίμηταί τις* sine dubio eo referendum est, quod homines superstitiosi putabant, dormientes maxime incursionibus daemonum nocturnorum obnoxios esse eorumque vi immunda pollui.

3) *θύειν χρὴ ἀνυπόδητον καὶ πρὸς τὰ ἱερὰ προσιέναι.* Aristot ap. Jambl. V. P. 85. ib. 105. Protr. 21*).

Mos calceos in templis aliisque locis sacris exuendi invenitur et apud Arios et apud Semites (v. Sartori, Der Schuh im Volksglauben, Zeitschr. des Vereins für Volksk. 4 (1894) p. 178 sq.). Graecorum non Pythagoreos solos hanc religionem observasse multa sunt quae doceant, ut *ἱεροὶ νόμοι* Andaniae (v. supra) Lycosurae (v. s.) Jalysi (Dittb. Syll. [2] 2. 560). Scriptores quoque memorant morem fuisse solearum in quibusdam templis exuendarum, v. quos citant Schoemann, Gr. Altertüm. [2] 2. 231. Roscher, Lex. 1. 138 praeterea Ovid. Fast. 1. 629 sq. Varro de l. l. 7. 84.

Interdictum mihi ex similibus opinionibus ortum esse videtur atque alterum illud de anulis (v. infra symb. 22), quod et ipsum in legibus sacris templorum quorundam inventum est. Constat enim soleas vinculis scorteis varie inter se colligatis ac nodatis ad pedem applicari solitas esse. Quidquid autem complicatum et nodatum est, mentibus simplicibus in omnibus

*) Discrepantias auctorum, quae quidem nihil faciunt ad sensum mutandum, adnotare brevitatis causa nolui.

rebus, quae exitum rectum facilemque poscunt, velut et in supplicationibus votis sacrificiis rebus magicis et in laboribus parturientium tamquam infausti ominis esse videtur ideoque amovetur. v. Serv. ad Aen. 4. 518: „in sacris nihil solet esse religatum, praecipue eius, quae amore vult solvi“. cf. Ovid. Fast. 3. 257., 6. 395. Serv. ad. Aen. 6. 518., 5. 432., 1. 503., Pseudodemocr. apud Columell. 7. 3. 64 (Vors. p. 461. 22 sq.) Kroll, Ant. Abergl. p. 20. Quae vis impediens nodis et vinculis in multarum gentium superstitionibus adhaeret, ut docet Fr. 1. 392 sq. Mea igitur opinione ideo homines religiosi soleis induti templa inire vel res sacras facere noluerunt, quod timebant, ne nodis, quibus illae alligatae erant, exitus faustus votorum prohiberetur. Atque uno in hoc symbolo explicando Jamblichus in Proteplico verum suspicatur, cum dicit: „ἕτερον δὲ τὸ δεῖν δεσμῶν χωρὶς καὶ εὔλυτον ὄντα τὴν θεραπείαν καὶ γνῶσιν τῶν θεῶν, ποιεῖσθαι. ταῦτα δὲ οὐκ ἐπὶ σώματος μόνου παραγγέλλει τὸ σύμβολον διαπράττεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν τῆς ψυχῆς ἐνεργειῶν κτλ.

4) *ἐν ἱεριῶι ἄν τι ἀκούσιον αἷμα γένηται ἢ χρυσῶι ἢ θαλάττηι περιρραίνεσθαι.* Jambl. V. P. 153.

Sanguine victimarum rite deis immolatarum templa non polluebantur; contra, ut ex hoc symbolo discimus, si quis invitus vel ipsius vel alterius cuiusdam sanguinem in templo fuderat, locus sacer pollutus esse putabatur certisque lustrationibus opus erat ad expiandum. Cum antiqui, quod quidem ego scio, plura de hac re non praebeant, aliarum gentium superstitiones adhibeamus necesse est ad lucem huic rei afferendam. Atque Frazerus 1. 355 sq. complures consuetudines populorum ferorum collegit, quas ad id, quod spectamus, non inutiles esse censeo. Is postquam multis exemplis exposuit regis sanguinem fundi plerisque gentibus incultis nefas videri, alia testimonia promit, quibus combrobatur apud alias gentes et feras et Europaeas hanc religionem omnino in sanguine fundendo valere. Velut in West-Sussex homines putant solum sanguine conspersum devotum et in omne tempus sterile fieri. In Africa occidentali si cuius sanguinis gutta in terram decidit, diligenter conterendo occultatur, si in scapham, pars conspersa exciditur vel tota scapha destruitur. — Quos ad mores explicandos Fr. rectissime utitur opinione illa omnibus gentibus communi, vitam et animam hominum esse in sanguine (v. infra ad symb. 14 p. 23 sq.). Jam quicumque locus sanguine aspergitur fit sacer (tabooed). Tabu enim et ea sunt, quae vim quandam supranaturalem in se habere videntur, et ea, quae quoquo modo tali vi afficiuntur, quod utrumque „sacer“ voce significari solet. Quae vis aut semper haeret in personis vel rebus

semel sacratis vel certis caerimoniis tolli potest. Jam igitur sanguine, qui ipse est sacer, quippe cui inesse putetur vita hominis, et homo et locus, qui aspergebatur, fiebat „tabooed“ et opus erat lustrationibus ad sacrationem tollendam. Quae res hunc in usum idoneae visae sint, tantum ex parte cognoscere possumus, cum verba *ἢ χρυσῶι* sine dubio corrupta sint, nam fieri non potest, ut auro quisquam aspergatur. Scaliger scripsit *κρουνῶι*, Loganus *ῥύσει*, Nauck *ὕδατι κρουνῶν ἢ θαλάττης*, (de vi lustrali aquae inprimis marinae. v. infra p. 45 Rohde Ps. 2². 405. Stengel, Griech. Kultusaltert. 144. Gruppe, Griech. Mythol. 889). Sed non dubito, quin Dielsii coniectura, quam mecum liberaliter communicavit, *πυρσῶι* multo probabilior sit. Nam cum facillime pro *πυρσῶι* a librario scribi potuit tum ignis permultum valuit in lustrationibus, cf. Eurip. Iph. T. 1216. Orest. 40. Rohde Ps. 2². 101². Stengel l. c. p. 88. Stengel l. c. 892.

5) *μὴ τίκτειν ἐν ἱερῶι.* Jambl. V. P. 153.

Puerperas impuras et quasi funere imbutas esse opinio per omnia saecula totumque orbem terrarum diffusa est, v.Fr 1. 325 sq. W. § 575—78. Quae ad antiquorum de hac re superstitiones pertinent Gruppe, Gr. Mythol. 858² collegit; hodie quoque in Graecia homines superstitiosi putant se puerpera non minus quam cadavere tacto pollui; ideo feminae postquam mulieri parturienti adfuerunt statim domum se conferunt ad vestes puras induendas Ipsa domus, in qua infans natum est, impura habetur ideoque aqua benedicta suffimentisque lustratur, cf. Sajaktzis, Zeitschr. des Vereins für Volksk. 4 (1894) p. 145. Wachsmuth, Das alte Gr. im neuen, p. 74 sq. Origo atque vis huius superstitionis facile perspici potest. Homo enim simplex cum se a daemonibus temporibus locisque omnibus circumsideri putat, tum gravissimo quoque vitae discrimine vim nocentem eorum maxime metuit. Qua de re permultae superstitiones coniunctae sunt et cum generatione et cum partu liberorum. Sic mulieribus parturientibus daemones instare putantur, ut infantia vix in lucem edita in suam potestatem redigant. Jam, cum apertum sit conventu talium spirituum immundorum templa pollui, intelligi potest, qua de causa mulieres in templis parere vetitae sint. Qui usus non paucis scriptorum et inscriptionum testimoniis confirmatur. cf. Thuc. 3. 104: *καὶ τὸ λοιπὸν προσεῖπον* (sc. Athenienses a. 426) *μήτε ἐναποθνήισκειν ἐν τῆι νήσωι* (sc. Deli) *μήτε ἐντίκτειν, ἀλλ' ἐς τὴν 'Ρήνειαν διακομίζεσθαι* (idem Diod. 12. 58). De fano Aesculapii Epidaurii Pausanias refert (2. 27. 1): *τὸ δὲ ἱερὸν ἄλσος τοῦ 'Ασκληπιοῦ περιέχουσιν ὅροι πανταχόθεν οὐδὲ ἀποθνήισκουσιν* (*ἄνθρωποι* Wieseler) *οὐδὲ τίκτουσιν αἱ γυναῖκές σφισιν ἐντὸς τοῦ περιβόλου, καθὰ καὶ ἐπὶ Δήλωι τῆι νήσωι*

τὸν αὐτὸν νόμον. cf. ibid. § 6. Eadem de causa in Aristophanis Lyststrata (742) mulier se gravidam esse simulat, ut hac ratione occasionem arcis, quao crat Minervae sacra, adipiscatur relinquendae. Nam hic quoque illud interdictum valuit; vide inscriptionem in acropoli Atheniensium inventam (Eph. arch. 1884. 169. 10): ἐπεὶ δὲ πάτριόν ἐστιν ἐν μηδενὶ τῶν τεμενῶν μήτ' ἐντίκτειν μήτ' ἐναπο[θνή]ισκειν.....

6) φθεῖρα ἐν ἱερῷι μὴ κτείνειν Jambl. V. P. 154.

Non certo constat, num apud Graecos pediculi ceteraeque bestiolae molestae eadem ratione cum daemonibus coniunctae fuerint, qua, ut omnes scimus, apud Germanos. (cf. praeter alia W. § 216. 303. Recordare etiam quem so esse dicit Mephistopheles in Goethii Fausto:

v. 1162. Der Herr der Ratten und der Mäuse,
Der Fliegen, Frösche, Wanzen, Läuse.)

Fortasse eandem apud voteres rationem fuisse credemus, cum legerimus quae medicamina adhibebantur ad illa animalia fuganda. Multae onim earum rerum, quarum hic usus fit, eadem sunt atque quae ad daemones propellendos valere crodobantur, sicut scilla (Geop. 13.9.11., 13.14.1.5.) sulphur (13. 10.5. 13.14.3) laurus (13.12.1) aqua frigida (13.14.10), cf. etiam caerimonias Geop. 13.5.7 sq. commendatas ad pulices domesticos delendos. Jam, si profecto bestiolae illae cum daemonibus cohaerere putabantur, facile intolligimus, qua de causa tali immundo animali necato templa deorum pollui putatum sit.

7) σπονδὴν μὴ καταμύοντα προσφέρεσθαι. Jambl. V. P. 156.

Il *Π* 220 sq. Achilles Patrocli gratia Jovi libationem faciens diligenter describitur et legimus 231 sq.

λεῖβε δὲ οἶνον
οὐραν'ν εἰσανιδών. Δία δ'οὐ λάθε τερψικέραυνον.

Idem facit Priamus cum ad Achillem profecturus Jovem imploret, ut sibi omen faustum mittat. Non fortuito οὐρανὸν εἰσανιδὼν additur. Nam multis exemplis perspici potest Graecos in orando, quod plerumque cum libatione coniungitur, eo oculos vertere solitos esse, ubi deum imploratum esse iudicabant. Aspiciebant caelum, cum quid a superis impetrare volebant, terram, cum manes citabant (Seneca, Oed. 565), maro, cum aquarum deos adibant (4. 413). Igitur si quis καταμύων i. e. clausis oculis libationem dederat, voti sui non compos fieri non potuit, cum nullum certum deum rite oravisset.

8) σπένδειν τοῖς θεοῖς κατὰ τὸ οὖς τῆς κύλικος. Aristot. ap. Jambl. V. P. 84. Androcyd.*) ap. Porph. V. P. 42.

*) Et hic et ubicumque Androcydem inter symbolorum testes attuli, Hoelkii demonstrationem allego.

9) ἐν δακτυλίῳ μὴ φέρειν σημεῖον θεοῦ εἰκόνα. Aristot. ap. Jambl. V. P. 84. Androc. ap. Porph. l. c. Diog. L. 8. 17. — Jambl. Protr. 21. — Clem. Strom. 5. 5. 28. — Apollonius Tyan. ap. Jambl. V. P. 256.

Utrique symbolo simplices quaedam cogitationes subsunt de puritate atque impuritate religiosa, quae tam facile perspici possunt, praesertim cum iam antiqui interpretes nonnulli verum suspicati sint, ut opus non sit uberius de eis disserere.

Ea pars poculi, quae rarissime labris hominum tangi solet, cur maxime idonea habita sit, qua deis libationes fierent, facile intelligi potest. Homines superstitiosi metuebant, ne illa sacra irrita fierent, si per eam partem poculi funderentur, quae ore humano quasi pollueretur. Ita iam Aristoteles ap. Jambl. hoc symbolum explicat dicens: ὅπως μὴ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ πίνηται. Eodem pertinet, quod illis Homeri versibus, quos supra attulimus, de poculo Achillis narratur:

Il 225: ἔνθα δέ οἱ δέπας ἔσκε τετυγμένον, οὐδέ τις ἄλλος
οὔτ' ἀνδρῶν πίνεσκεν ἀπ' αὐτοῦ αἴθοπα οἶνον
οὔτέ τεῳ σπένδεσκε θεῶν ὅτι μὴ Διὶ πατρί.

Item iam ab antiquis interpretibus de sensu symboli 9 recte docemur. Addit enim Peripateticus: ὅπως μὴ μιαίνηται, et clarius Apollonius Tyanensis dicit Pythagoreos anulis deorum imaginibus ornatis abstinuisse φυλαττομένους μὴ προσενέγκωσι πρὸς ἐκφορὰν ἤ τινα ἄλλον τόπον οὐ καθαρόν, neque dubitari potest, quin profecto ea fuerit causa. Mos deorum signa anulis insculpendi posterioribus antiquitatis temporibus late valuit, v. Plin. 33. 41., 2. 21, cuiusmodi anulos depictos praebent Fortunius Licetus, de anulis antiquis, (Utinum 1645) Nr. 19—23, 28 - 32. Jones, Fingerring-Lore p. 37. Qui mos ex eo ortus esse videtur, quod cum omnino anuli tum anuli deorum imaginibus insignes inter amuleta validissima numerabantur. v. Schol. Aristoph. Plut. 884. Meineeke, Fragm. com. 2. 454., 3. 97. Alex. Trall. 8. 2 (1. p. 377 ed. Puschm.) contra coli dolorem complura medicamenta magica commendat, quorum nonnulla in anulum includi iubet, vel alterum: εἰς Μηδικὸν γλύψον Ἡρακλέα ὀρθὸν πνίγοντα λέοντα καὶ ἐγκλείσας εἰς δακτυλίδιον χρυσοῦν δίδου φορεῖν. cf. Marcell. de med. 20. 98., 29. 23. De aliis anulis magicis cf. Jones, p. 100 sq. Sed quamquam propter illas vires anulis attributas eiusmodi ornamenta gestare utile haberi potuit, tamen non minus facile intelligimus homines religiosos metuentes, ne iram deorum, quorum imagines gestabant, anulis nescio quo pacto pollutis, in se converterent, omnino eis abstinuisse.

10) **στέφανον** μὴ τίλλειν. Androc. ap. Porph. V. P. 42.

Hoc quoque symbolum latioris interpretationis non indiget, praesertim cum generaliter de corona agat, non de corona ad

certum quendam deum pertinente. Corona, ut ex Plin. 16. 9, cognoscimus, antiquitus dei esse deoque uni convenire putabatur et coronatus deo est consecratus, cf. Tert. de corona milit. 10. Rohde, Ps. 1, 220². Igitur is, qui coronam laesit, deo ipsi iniuriam intulit atque timeat necesseest, ne dei hoc scelus ulciscantur.

Animadvertimus eorum symbolorum, quae ad res sacras pertinent, multa per se facile perspici posse neque uberiore eorum interpretatione opus esse. Magis arduae atque longinquae eae sunt viae, quas nunciam affectemus ad ea symbola explicanda, quae ad vitam cotidianam spectant.

A. De cibis reiciendis.

11) *κυάμων ἀπέχεσθαι.* Aristot. ap. Diog. L. 8. 34. Androcydes ap. Ps-Plut. de lib. educ. 12. Diog. L. 8. 18. Jambl. Protr. 21. V. P. 109. Hippol. Ref. 6. 27. Diog. L. 8. 33, 8. 23.

Prisci iam Indi fabis neque in sacrificando utebantur neque cum ad sacra facienda se praeparabant vescebantur. (Schröder, Pyth. u. d. Inder p. 35). Et Herodotus 2. 37 refert: *κυάμους δὲ οὔτε τι μάλα σπείρουσι Αἰγύπτιοι ἐν τῆι χώρηι, τοὺς τε γινομένους οὔτε τρώγουσι οὔτε ἕψοντες πατέονται. οἱ δὲ δὴ ἱρέες οὐδὲ ὁρῶντες ἀνέχονται, νομίζοντες οὐ καθαρὸν εἶναί μιν ὄσπριον.* Eundem in modum apud Graecos et Romanos fabae et a personis et a rebus sacris alienae esse putabantur. Sic et Eleusinii et Orphici mystae fabis abstinebant (Porph. de abst. 4. 16. p. 255. 4 N.² Paus. 1. 37. 3. Rohde. Ps. 2. 126), quin etiam Artemidorus contendit (1. 51): *πάσης τελετῆς καὶ παντὸς ἱεροῦ ἀπελήλαται* v. Laert. Diog. 8. 33. Flamini Diali, cuius sacerdotium totum religionibus vetustissimis saeptum est, Varrone auctore fabam nec tangere nec nominare fas erat (Plin. 18. 119., Festus p. 62. 14 Th., Gell. 10. 15. 12). Atque ex rebus sacris Romanorum huius religionis causam intellegere poterimus. Apud eos enim fabae plurimum valebant in cultu mortuorum. Testimonia scriptorum antiquorum, quae huc pertinent, Crusius collegit (Rh. Mus. 39. 164 sq.), quorum gravissima refero: Romani a. d. VII. V. III. Id. Mai: Lemuria celebrabant, de quibus Varro, de vita pop. Rom. I, apud Non. p. 104. 15. M. refert: „quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu ac dicunt se Lemurios (i. e. animas defunctorum cf. Wissowa, Rel. p. R. p. 189. 8) domo extra ianuam eicere". Ovidius fast. 5. d35 sq. ipsum familias patrem quendam inducit haec sacra 4eragentem:

cumque manus puras fontana perluit unda
vertitur et nigras accipit ante fabas,

aversusque iacit, sed dum iacit „haec ego mitto
his“, inquit „redimo meque meosque fabis“.
hoc noviens dicit nec respicit. umbra putatur
colligere et nullo terga vidente sequi*).

Item fabae adhibebantur, cum diebus parentalibus (ab die XIII ad XXI mensis Februarii) tumulis epulae imponebantur, Ov. Fast. 2. 533, Varro l. l., quem ad morem refero Lyd. de mens. 4. 42 (p. 99 W.): *τούτου χάριν εἰς τοὺς τάφους ῥίπτονται* (sc. *οἱ κύαμοι*) *ὑπὲρ σωτηρίας ἀνθρώπων*, et Plut. qu. Rom. 95: *πρὸς τὰ περίδειπνα καὶ τὰς προκλήσεις τῶν νεκρῶν μάλιστα χρῶνται τοῖς ὀσπρίοις.*

Graecos quoque fabis in mortuis et inferis colendis usos esse apertis testimoniis quamquam evinci non potest, tamen eo, quod mystae eis abstinebant, similem earum vim fuisse atque apud Romanos colligi licet, nam omnia fere, quibus illi uti vetabantur, ad daemones animales et inferos pertinent, quorum vi homines pollui putabantur, v. inpr. Rohde Ps. 1. 287 sq. 271 sq. 2. 171 sq. Pythagoras, quin profecto esum fabarum suis interdixerit, minime dubitandum est, permultisque auctoribus, qui hoc de Pythagora prodiderunt — nam quos in capite nominavi gravissimi tantum sunt testes — fides habenda est. Quodsi Aristoxenus (Gell. 4. 11. 3) refert: *Πυθαγόρας δὲ τῶν ὀσπρίων μάλιστα τὸν κύαμον ἐδοκίμασεν, λειαντικόν τε γὰρ εἶναι καὶ διαχωρητικόν. διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῶι*, dubitari non potest, quin ei Pythagorei, quibus ille ea debet, quae de Pythagora discipulisque eius tradit, profecto magistrum morem illum observasse negaverint, cum omnino omnia ab eo removerent, quae priscas religiones et superstitiones redolerent (cf. Rohde Kl. Schr. 2. 107 sq.).

Jam existit quaestio gravissima, qua tandem causa commoti antiqui tantam vim fabis attribuerint. Cui solvendae ab Aristotele usque ad nostra tempora multi viri et docti et indocti operam dederunt, quorum omnium sententias enumerare longum est. Antiquorum de hac re testimonia collegit Olckius, PW. 3, 1, p. 618. 62 sq., inter recentiores uberius hanc quaestionem tractaverunt Lobeckius, Agl. 251. sq., Wuenschius, Das Frühlingsfest der Insel Malta, 31 sq., praecipue ad Romanorum fabarum religionem spectant, ut supra diximus, quae disseruit Crusius Rh. Mus. 39. 164 sq.

*) Quam mira nonnunquam sit convenientia sive casu sive lege quadam mentis humanae inter religiones populorum diversissimorum docent quae Frazerus tradit (3. 82): Ultimis cuiusque anni noctibus in plerisque domibus Japanorum caerimoniae quaedam peraguntur, quas vocant exorcismum daemonis mali. Pater familias veste pretiosa indutus gladioque cinctus media nocte domum totam perlustrat. Manu sinistra portat cistellam fabis tostis completam, ex qua iterum atque iterum fabas disiectat vocibus magicis editis, quarum est sensus: Exite daemones, intrate divitiae“. cf. etiam Samter, Familienfeste der Gr. p. 5.

Quae mihi vera huius religionis causa esse videtur, ea a scriptoribus non paucis animadversa est. Natura enim fabarum talis est, ut in eis, qui ederunt, nimiis intestinorum inflationibus somnia dira et suppressiones efficiant, v. Diosc. m.m. 2. 127. Geop. 2. 35. 4, Apoll. h. mir. 46. Plut. qu. conv. 9. 10. Cic. de div. 1. 62. Plin. 18. 118. Diog. L. 8. 23.

Quas improvisas animi affectiones homines simplices ita explicabant, ut eas a daemonibus quibusdam simul cum fabis in corpus transgressis effectas esse putarent. Hanc enim morborum et somniorum dirorum rationem apud populos feros vulgatissimam antiquis quoque probatam fuisse negari non potest (v. Roscher Ephialtes, Abh. d. sächs. Ges. d. Wiss. 20. p. 27, praeterea Porph. ap. Euseb. pr. ev. 4. 23. 3). Daemonum igitur metu hoc interdictum meo quidem iudicio ortum est. Quod si recte est iudicatum, perspiciemus, quid velit Plin. 18. 118: „(faba) habetare sensus existimata, insomnia quoque facere, ob haec Pythagoricae sententiae damnata, ut alii tradidere, quoniam mortuorum animae sint in ea, qua de causa parentando utique adsumitur". Daemones enim, quos in fabis inesse quorumque vi se vexari putabant, ut saepe fit in omni superstitione, pro animis mortuorum habebant, quarum iram nescio quo delicto irritavissent. Licet etiam alia, quae in fructibus vel floribus fabarum animadvertebant vel animadvertere sibi videbantur (cf. Wuensch l. c.) accesserint, quibus commoti fabis vim quandam supranaturalem inderent, tamen mihi quidem ex illis rebus physicis tota superstitio orta esse videtur.

Non dubito, quin Romani eadem opinione commoti sint, ut fabas inferis proicerent, quod diebus Parentalibus Lemuriisque factum esse supra cognovimus. Nam quod animae fabis inesse putabantur, quae potuit res aptior videri, quae substituti loco eis numinibus porrigeretur, quae nihil aliud agere credebantur, nisi ut animas hominum omnibus modis arriperent. Luculentissime haec fabarum sacrifici vis evenit ex versibus Ovidii supra collatis (Fast. 5. 438) „his, inquit, redimo meque meosque fabis", cf. etiam Lyd. l. l.: *τούτου χάριν εἰς τοὺς τάφους ῥίπτονται ὑπὲρ σωτηρίας ἀνθρώπων.*

Si quaerimus, num in superstitionibus Germanorum inveniantur quibus evinci possit hic quoque vim magicam fabis attribui, animadvertemus ipsam fabam minus saepe occurrere (W. 136: Erbsen und Bohnenpflanzen geben Wahrsagezeichen, die Hülsen von Bohnen heilen Warzen), saepissime legumina generaliter dicta vel alia, ut § 74: In den Zwölfnächten darf man weder Hülsenfrüchte noch Fleisch essen (cf. Chemnitzer Rockenphilos ap. Grimm, D. M. [4] 3. 436). Am Charfreitage darf man nicht Linsen oder Erbsen essen, sonst bekommt man Geschwüre. Pisa saepissime cum numinibus infestis coniunguntur

aut vi magica et noxia esse existimantur (W. 70. 136. 93). Quam ne miremur discrepantiam, nam et vis illa physiologica omnium leguminum eadem est, et in linguis Indogermanicis tam saepe eadem vox pro diversis leguminibus usurpatur, ut colligi liceat, ea sero accuratius distincta esse. Ut unum ex multis exemplum proferam: Voces quae omnes ab radice „grach" derivantur, Russi Poloni Czechi pro piso, Sloveni pro vicia, Albani pro lente accipiunt, cum in lingua Palaeoslavica „grachu" idem sit ac faba, v. Hehn, Culturpfl. [6] 213. 210. 215 sq., Schrader, Reall. d. Ind. Alt. p. 504 (Albani *βαϑε* (=*φακός*) pro faba, *ϑ*jerε, fjerε (=fabarium, faba) pro lente). Rursus apud Graecos quoque et Romanos nonnunquam ciceri vel aliis leguminibus eadem vis adscribitur ac vulgo fabis, cf. Plut. vit. Crass. 19. 5. quaest. Rom. 95.

Ut saepe fit eis rebus, quae quoquo modo cum inferis cohaerere putantur, fabae quoque in omnibus rebus magicis, ut in incantationibus, defixionibus etc. multum valent. Sic de vetula Feralibus Tacitae deae inferorum sacra faciente ad linguas inimicorum defigendas narratur ab Ovidio fast. 2. 575-76.

Tunc cantata ligat cum fusco licia rhombo
et septem nigras versat in ore fabas.

Plura quae ad vires magicas fabarum spectant cf. ap. Zenob. 1. 25. Corp. Paroem. 1. 8. ib. 1. 188, 2. 275. Plut. vit. Crass. 19. 5. Ovid. fast. 4. 273 sq. Plin. 18. 118. Geop. 2. 35. 1. Theophr. h. pl. 7. 1.

12) *τῶν ἰχϑύων μὴ ἅπτεσϑαι ὅσοι ἱεροί.* Aristot. ap. Diog. L. 8. 34. cf. Diog. L. 8. 18: *Ἀριστοτέλης δὲ φησὶ καὶ μήτρας καὶ τρίγλης ἐνίοτε* (sc. *ἀπέχεσϑαι*) Plut. qu. conv. 4. 5. c. 2. 8: *τοὺς Πυϑαγορικοὺς... τῶν ϑαλαττίων μάλιστα τρίγλης καὶ ἀκαλήφης ἀπέχεσϑαι* cf. Gell 4. 11. 12.

μήτ' ἐρυϑρῖνον ἐσϑίειν μήτε μελάνουρον. Androcyd. ap Tryphon. rhet. gr. p. 3. 193 ap. Diog. L. 8. 18. Pspl. de lib. ed. 124. Jambl. Protr. 21. V. P. 109. Diog. L 8. 33.

Quamquam maior pars scriptorum certa quaedam piscium genera nominat, quibus abstinere Pythagoras suos iusserit, tamen non desunt, qui piscium esum vel omnino (Plut. qu. conv. 8. 8) vel magna ex parte (Aristoxenus ap. Jambl. V. P. 98). Pythagoreos contempsisse referant. Item omnibus piscibus abstinebant mystae in Eleusiniis celebrandis, quorum cum praeceptis Pythagoram saepenumero consentire intelligi potest. (Porph. de abst 4. 16: *παραγγέλλεται γὰρ καὶ Ἐλευσῖνι ἀπέχεσϑαι κατοικιδίων ὀρνίϑων καὶ ἰχϑύων καὶ κυάμων...*) Quibus rebus adductus arbitor antiquissimis temporibus cibum piscarium omnino impurum iudicatum paulatimque, ut saepe fit, traditionis severitatem debilitatam esse et ad certas societates religiosas paucaque piscium genera descendisse.

Plutarchi autoschediasmatis (qu. conv. 8. 8) reiectis saepe animadvertimus pisces cum fabis arte coniungi (Diog. L. 8. 18. 33. Jambl. V. P. 109), quibus homines timore inferorum commotos abstinuisse supra cognovimus. Item ad inferos deducimur, quod traditum est Graecorum in religione pisces nisi ad sacra heroibus et mortuis oblata adhiberi solitos non esse. (Stengel, Gr. Kultusalt. p. 109) Cui accedit gravissimum testimonium, quod de eis piscibus, quos Pythagoras reiecisse fertur, legimus Jambl. V. P. 109: *καὶ μελανούρου δὲ ἀπέχεσθαι παρήγγελλε, χθονίων γάρ ἐστιν θεῶν καὶ ἐρυθρῖνον μὴ προσλαμβάνειν δι᾽ ἕτερα τοιαῦτα αἴτια* (cf. Protr. 21). Inferorum igitur haec quidem piscium genera esse putabantur, itaque ei, qui vescebatur, timendum erat, ne illorum iram in se ipsum converteret Sine dubio eadem erat causa, qua mystae Eleusinii et mulieres in Halois celebrandis illis piscibus vesci vetabantur. v. Lobeck. Agl. 191. Schol. ad Lucian. dial. mer. ap. Rohde, Kl. Schr. 2. 366. Ceterum ego quidem pro certo habeo superstitionibus viros Homericae aetatis commotos piscibus nisi summa necessitate coactos non vesci, v. Hom. Od. δ. 368 μ. 330.

Quibus rebus cum dubium esse non possit, quin pisces ad inferos pertineant, in ipsa quaestione diiudicanda, qua tandem causa illam rationem inter utrosque intercedere antiqui putaverint, fieri non potest, ut rem tam apertam faciamus, ut nemo iam de vera origine huius religionis ambigere possit. Nam cum antiqui de hac re nihil praebeant, ad aliorum populorum opiniones confugiamus necesse est, quae tamen solae non sufficiunt ad omnes dubitationes tollendas.

Fieri potest ut religio illa orta sit eis temporibus, quibus Graeci vel potius maiores Indogermanici eorum de piscibus idem sentirent, ac nunc nonnulli populi inculti ac feri, qui putant pisces genus anguium esse*). Sicut Andree, Ethnogr. Par. 1. 125 refert omnes fere Hamitas Africae orientalis picibus abstinere, cum dicant pisces esse angues. Idem invenitur apud omnes Negros Africae meridionalis, qui pisces ne manu quidem tangere audent Iure Schurtzius (Die Speiseverbote, Hamburg 1893) addit praeceptum rituale Iudaeorum eis piscibus uti vetitorum, qui pinnas et squameas non habent; ei enim anguium maxime similes sunt (p. 23). Idem de Numa rettulerat Cassius Hemina, v. Plin. 32. 20: „Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent...“, quod quamquam Gemina Numam parsimonia permotum praecepisse con-

---

*) Temporibus historicis Graeci semper angues et pisces distinguebant, nisi quod anguillam a ceteris piscibus separabant, ut Hom. Il. Φ 203: τὸν μὲν ἄρ᾽ ἐγχέλυές τε καὶ ἰχθύες ἀμφεπένοντο, δημὸν ἐρεπτόμενοι ἐπινεφρίδιον κείροντες, sine dubio quod anguillam inter angues numerabant. (ἔγχελυς-ἔχις-anguis-anguilla, plura exempla praebent Curtius, Gr. Et. [5] 193. Schrader, Reall. 1.)

tendit, tamen sine dubio ex religione ortum est. Huc accedit, quod in linguis Indogermanicis sero demum singula genera piscium distinguuntur et ne radix quidem communis, qua piscis significetur, inveniri potest (Schrader, Reall. p. 242 sq.) Quae cum ita sint, fieri potest, ut haec Graecorum de piscibus opinio vere superstitio sit antiquissima. Nam si profecto pisces inter angues numerabantur, statim apparet Graecos eis non abstinere non potuisse. Nam neque est fere ullus populus, quin anguium carne abstineat et antiqui praeter ceteros habebant, cur id facerent, cum inter omnes constet eos credidisse et animas mortuorum et heroes et deos inferos saepe anguium sub forma in terram escendere. Quae opinio non antiquitatis solius est, cf. Fr. 3. 410 adn.

Quaqua ratione res se habet, semper certe cognoscimus pisces cum cultu animarum inferorumque cohaerere. Quin pro ipsis hominum animis substituuntur a Romanis in Volcanalibus celebrandis, cf. Fest. 306. 23 Th., qui narrat Volcano pisces vivos pro animis humanis immolari solitos esse, et Varronem de l. l. 6. 20: „Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriae et quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit". Similis est narratio Ovidii (fast. 2. 577 sq.) de Numa, qui Iovi ad fulmina pianda animam hominis poscenti piscem se immolaturum esse promittit. Neque iniuria Weickerus (Seelenvogel, p. 129) suspicatur Graecis quoque opinionem fuisse animas mortuorum in pisces transscendere posse, ut Empedocles de se praedicat

fr. 117. 3 (Diels. Vors.)

„ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε
θάμνος τ' οἰωνός τε καὶ ἐξ ἁλὸς ἔλλοπος ἰχθύς".

cf. W. 763, qui superstitionem quandam incolarum Palatiae superioris refert, qui credunt mortuorum animas sub forma atrorum pisciculorum in lacubus usque ad diem solutionis vivere. Gentes quoque feras et incultas saepe credere animas mortuorum in pisces transire ideoque piscibus abstinere docent, quae collegit Fr. 1. 179, 2. 430. 432. cf. Dalyell, the darker superstitions of Scotland p. 411 sq.

Difficile est dictu, cur superstitiones, quas antiquissimis temporibus omnino cum piscibus coniunctas fuisse demonstraro conati sumus, ad eos cibos descenderint, qui symbolo enumerantur, melanuri, erythrini, triglae, acalephae carnem. In melanuro fortasse color fuit, quem propter hominibus superstitiosis suspectus esse videretur. Trigla Hecatae in cultu multum valet et fieri potest, ut ex vocum τρίγλης et τριοδίτιδος, τριγλήνου, Hecatae cognominum, similitudine vis superstitiosa huius pisciculi orta sit. Sed haec merae suspiciones sunt et fatendum est nihil certi de hac re constare.

Ceterum trigla et melanurus sunt inter eos cibos, quibus

medicastri aegrotos abstinere iubebant, cf. libellum de morbo sacro Littré, 6. 356, v. Wilam. Leseb. 2. 271.

Abstinentiam piscium per totum orbem invenimus, praesertim apud gentes Indogermanicas. Velut Schrader, Reall. 242 sq. cum neque in Rigvedae neque in Avestae carminibus piscaturae mentio fiat, non sine iure suspicatur, veteres quoque Indos piscibus edendis abstinuisse. Porro de Caledoniis, natione Britanniae, Diodorus 76. 12. 2 narrat: *τῶν γὰρ ἰχθύων ἀπείρων καὶ ἀπλέτων ὄντων οὐ γεύονται*, neque apud Germanos huius religionis vestigia deerant, ut colligi potest ex libello quodam scripto a. 1468, ab Usenero publici iuris facto, (Christl. Festbr. p. 83 sq.) ubi legitur p. 84. 12: „Qui feria quinta in angaria non comedunt pisces" (sc. superstitiose agunt ideoque peccant). Idem constat de Semitis; de Iudaeis iam supra dictum est, Syros piscibus abstinuisse, quia Astartae sacri erant, notissimum erat antiquis scriptoribus, cf. Xenoph. anab. 1. 4. 9. Porph. de abst. 4. 15. Plut. de superst. 10, Artemid. On. 1. 8 (14. 14 H.) Ovid. fast. 2. 473. met. 4. 44 sq. Aegyptios denique sacerdotes omnino pisces reiecisse docent Herod. 2. 37. Plut. de Is. 353 C. 353 F. Lob. Agl. 191. De Hamitis iam dictum est.

18) *ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ*. Aristot. ap. Diog. L. 8. 34. Aelian. v. h. 4. 17. cf. Plut. qu. conv. 4. 5. c. 2. 8. Jambl. V. P. 84 (*μηδὲ ἀλεκτρυόνα λευκὸν θύειν*). — Jambl. Protr. 21 (*ἀλεκτρυόνα τρέφε μέν, μὴ θῦε δέ.*)

Galli a Persis antiquis bestiae sacrae habebantur, cum cantu suo lucem diei appropinquantem pronuntiantes daemones noctu vagantes (Dews) propellerent, cf. Hehn, Culturpfl. [6] 315. Quae superstitiones gallum secutae sunt, cum ex Persia in Graeciam transferretur, quod non prius quam saeculo septimo factum est (Kretzschmer, Kuhns Zschr. 33. 560).

Soli haec avis ipsa sua natura attribuebatur, cf. Paus. 5. 25. 5: *Ἡλίου δὲ ἱερόν φασιν εἶναι τὸν ὄρνιθα καὶ ἀγγέλλειν ἀνιέναι μέλλοντος τοῦ ἡλίου*, cf. Plut. de Pyth. or. 12. Jambl. V. P. 84. 147. Protr. 21. Diog. L. 8. 34. Contra gallum lunae numinibus a Graecis additum esse nisi Jamblichi Diogenisque testimoniis demonstrari non potest, qui eum Meni deo attribuunt. Cuius simulacris profecto saepe gallus apponitur, sed hic deus recentioribus demum imperii Romani temporibus extra Asiam coli coeptus est.

Solis lucidissimi avis eadem inferorum sacra est, ut Cereris, v. Porph. de abst. 4. 16: *χθονία γὰρ ἡ θεὸς καὶ Δημήτηρ ἡ αὐτή. καὶ τὸν ἀλεκτρυόνα δὲ ταύτῃ ἀφιέρωσαν.* Eadem in Proserpinae simulacris invenitur, cf. Müller-Wieseler, Denkm. 2. 856, Curtius, Arch. Zeitg. 1870. 76. Hoc eo factum est, quod gallus multum valet in heroum et mortuorum cultu, sicut Herculi immolatur C. I. A. 3. 1. 77. Ael. N. A. 18. 46 et Aesculapio offerri solebat, Plato Phaed. 118 A, Herond. 4. 12,

Artemid. 5. 9. p. 255 Herch., Aelian frg. 98 Herch. Item mortuis cum alia dona tum galli a propinquis offerebantur, quod cognoscere possumus non paucis ex monumentis sepulcralibus, cf. Rohde Ps. [2] 1. 243. Ath. Mitt. 13. 78. Etiam in Harpyiarum quod dicitur sepulcro Xanthi effosso gallus inter dona funeralia affertur.

Sed qua tandem de causa mortuis galli tamquam dona proponebantur? Credi non potest vel antiquissimis temporibus gallum avem tam raram et pretiosam fuisse, ut tamquam inter dona sumptuosissima ideoque gratissima numerari posset. Nam constat gallos tam facile aliarum terrarum caelo se accommodare tamque fecunde pullos procreare, ut non liceat pretium galli comparare cum eo, quod nostris temporibus pro psittaco pendi solet, quod Kretschmerum (Kuhns Zeitschrift 33. 560) fecisse miror. Immo a pauperibus sacrificari gallos solitos esse ex Herondae loco c. apparet. Sed reminiscamur superstitionis illius, qua gallo vis daemonum noctu grassantium propellendorum attribuitur, neque credo dubitabimus, quin non tam pietate quam metu adducti Graeci defunctis gallum sacrificare soliti sint, nimirum ut animae maleficae eo modo deterrerentur a vexandis hominibus. (Eadem de causa Persae cadavera gallis aspicienda curare feruntur, cf. E. Baethgen, De vi ac significatione galli in religionibus et artibus Graecorum et Romanorum, Goett. Diss. 1887.) Nam quamquam vim illam praecipue in avis acri voce positam esse manifestum est, tamen paulatim facile opinione amplificata tota avis averrunca habebatur. Quo fiebat ut gallorum effigies aureae amuletorum loco collo annexa gestarentur, cuius generis nonnullae inventae sunt, cf. Jahn, Verhandl. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1855 p. 79. Baethgen p. 10 sq.). Eadem de causa inter bracteolas aureas quae vestibus mortuorum assui solebant, multae imaginem galli praebent (cf. Stephani, C. R. 1876. 146 sq., 1877. 236).

Superstitiones cum gallo coniunctas non solum a Pythagoreis sed etiam ab aliis hominibus superstitiosis observatas esse intelligimus ex libro *περὶ ἱρῆς νούσου* Littré 6. 356, ubi inter medicamenta magica, quae hominibus comitialibus a medicis ignaris praesribi soleant, id affertur, ut carne gallinacea abstineant. Ceterum haec religio non intra fines Graecorum et Romanorum continetur, sed multis locis Europae reperitur. Velut Caesar de Britannis narrat (b. g. 5. 12. 6): „Leporem et gallinam et anserem gustare fas non putant; haec tamen alunt animi voluptatisque causa". Incolae gentiles Russiae, ut refert Schrader, Reall. p. 324, mortuis gallos sacrificabant praeceptumque carnis gallorum reiciendae per totam Europam septentrionalem diffusum est.

Quod auctores, qui ex Aristotele hauriunt, de albo gallo verba faciunt, pertinet ad galli cum sole coniunctionem. Nam cum omnino deis superis tum Soli hostiae albae sacrificari so-

lebant (cf. Euseb. p. ev. 4. 9. 2, Il Γ. 103. Philostr. Her. 10. 1. p. 309. 7 K) nimirum propter solis lucem albam et claram. Vis enim dei, cui immolatur, multum facit ad colorem hostiae, quod exempli gratia intelligere possumus scholio ad Arist. Rau. v. 847-8:

ἄρν' ἄρνα μέλανα παῖδες ἐξενέγκατε,
τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

*... εἰκότως δὲ μέλαιναν καὶ οὐ λευκήν, ἐπειδὴ καὶ ὁ Τυφὼς μέλας**).

Plurimum albos gallos in superstitione valuisse eo quoque docemur, quod huius coloris in rebus magicis adhibebantur, v. Pap. mag. ed. Dietrich 9. 31 sq: *ἐκτελέσαντος δὲ τὴν τελετὴν καθὼς προσήκει, ἔχε ἀλέκτορα δίλοφον ἤτοι λευκὸν ἢ ξανθόν, ἀπέχου δὲ μέλανος κτλ.* cf. quae plura ad hanc rem addit Diet. l. l. 785 adn. 3. Vide praeterea inscriptionem fortasse ad Aesculapii fanum Romae situm pertinentem (C.I.G.3.5980): *Οὐαλερίωι Ἄπρωι στρατιώτῃ τυφλῶι ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν καὶ λαβεῖν αἷμα ἐξ ἀλεκτρυόνος λευκοῦ μετὰ μέλιτος ....*, similiter Veget. (1.18.17) dicit equorum morbos iure, in quo gallus albus vivus coctus sit, sanari. Neque non hodie quoque a Graecis in rebus magicis albi galli fit usus, v. Rouse, Folklore from the Southern Sporades, Folk-Lore 10. p. 182: Thesauri inventi immutabuntur in carbones nisi albo gallo necato.

In superstitione Germanorum gallus prorsus easdem partes agit solis praeconis daemonumque propulsatoris, neque numerari possunt fabellae, in quibus gallo canente diabolus vel alii

---

At Pausanias 2. 34. 3: ὃ δ'ἐθαύμασα ἐν τοῖς Μεθάνοις μάλιστα γράψω καὶ τοῦτο. ἄνεμος ὁ Λίψ βλαστανούσαις ταῖς ἀμπέλοις ἐμπίπτων ἐκ τοῦ Σαρωνικοῦ κόλπου τὴν βλάστην σφῶν ἀφαυαίνει. κατιόντος οὖν ἔτι τοῦ πνεύματος ἀλεκτρυόνα τὰ πτερὰ ἔχοντα διὰ παντὸς λευκὰ διελόντες ἄνδρες δύο ἐναντίοι περιθέουσι τὰς ἀμπέλους ἥμισυ ἑκάτερος τοῦ ἀλεκτρυόνος φέρων. ἀφικόμενοι δ'ἐς τὸ αὐτὸ ὅθεν ὡρμήθησαν, κατορύσσουσιν ἐνταῦθα. τοῦτο μὲν πρὸς τὸν Λίβα σφίσιν ἐστὶν εὑρημένον. Hic igitur ventorum numina, quae ex animis mortuorum orta esse certissimum est, (cf. Rohde Ps. [2] 1. 237. Stengel, Herm. 16. 349) hostia alba placantur, quod mirum videtur, quia numinibus inferorum nigrae sacrificantur. Sed audiamus quae Frazerus, Folk-Lore 1. p. 163 affert ad hunc morem interpretandum: In India orientali cum caelum nubibus atris opertum est, piscatores Malaici pennis galli albi vel lutei certa ratione in prora scaphae alligatis daemones implorant, ut tempestatem avertant. Tum gallo interfecto piscator manus calce dealbat, digitos hoc modo coloratos ter ad caelum tendit avemque in mare conicit. Apparet, inquit Frazerus, et Graecum et Malaium ea ratione moveri ut avis alba contra daemonem tempestatis atrum involare eumque propellere putetur. — Sine dubio hoc ita se habet, nisi quod paulo simplicius utrumque ita interpretor, ut galli colore albo candor caeli nubibus, quas ventus ille humidus agere solet, dispersis significetur. (De natura Libis cf. carm. pop. 42 Hilleri Anthol. lyr.: Λίψ ἄνεμος ταχὺ μὲν νεφέλας ταχὺ δ'αἴθρια ποιεῖ.) Permultis enim exemplis demonstrari potest, quantum apud homines superstitiosos et simplices id valeat, quod apte Fr. „imitative magic“ nominat. Eadem de causa Favonius et Notus candidi vel albi nominantur, cf. Hor. carm. 3. 7. 1., 1. 7. 15. et Verg. Aen. 3. 120: „nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam“.

daemones, quae noctu homines vexarunt, territi evanescunt. Atque apud nos quoque albus gallus saepe occurrit, boni ominis semper habitus, v. W. § 156: „Gallus albus vel gallina alba domum ab omni fascinatione defendit et magnae felicitatis auctor est". Zingerle, Sitten, Bräuche und Meinungen des Tiroler Volkes, ²685. 686: „Si cui gallus albus occurrit homo diaboli potestati eripitur". Quibus omnibus superstitionibus vim averruncam galli subesse apertissimum est.

Postremo etiam apud homines feros Africae et Indiae orientalis gallus ad res magicas faciendas adhibetur, cf. Fr. 1. 305, 3. 99.

14) *ἐμψύχων ἀπέχου.* Jambl. Protr. 21.

15) *καρδίαν μὴ ἐσθίειν.* Aristot. ap. Ael. v. h. 4. 17. Androc. ap. Demetr. ap. Athen. 10. 452. Ps. Plut. l. c. Porph. V. P. 42. Diog. L. 8. 17. Mantiss. prov. 2. 10. — Jambl. Protr. 21. V. P. 109. — Clem. Strom. 5. 5. 30.

16) *ἐγκέφαλον μὴ ἐσθίειν.* Jambl. V. P. 109. Protr. 21.

17) *θυσίμων χρὴ ἐσθίειν μόνον.* Aristot. ap. Jambl. V. P. 85. Aristoxenus ib. 98.

Pythagoram non principem Graecorum carnium, hae enim *ἐμψύχων* voce continentur, esum vetuisse inter omnes constat. Omnes fere viri summi, qui principes fuisse traduntur rerum religiosarum commutationis saeculis VIII et VII factae, carne abstinuisse narrantur. Praesertim ab Orphicis summum ponebatur in illa abstinentia, v. inprimis celeberrimum illum locum de vita Orphica Plat. leg. 6. 782 D: *τὸ δὲ μὴν θύειν ἀνθρώπους ἀλλήλους ἔτι καὶ νῦν παραμένον ὁρῶμεν πολλοῖς καὶ τοὐναντίον ἀκούομεν ἐν ἄλλοις, ὅτε οὐδὲ βοὸς ἐτολμῶμεν γεύεσθαι, θύματά τε οὐκ ἦν τοῖς θεοῖς ζῷα, πέλανοι δὲ καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα. σαρκῶν δ'ἀπείχοντο ὡς οὐχ ὅσιον ἐσθίειν οὐδὲ τοὺς τῶν θεῶν βωμοὺς αἵματι μιαίνειν ἀλλὰ Ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι ἐγίγνοντο ἡμῶν τοῖς τότε, ἀψύχων μὲν ἐχόμενοι πάντων, ἐμψύχων δὲ τοὐναντίον πάντων ἀπεχόμενοι,* cf. Eur. Hipp. 952. Eundem morem carnis tamquam funeris aspernandae Pythagoreos quoque veteres observasse verisimillimum est, neque moderata illa carnium abstinentia, quam Aristoxenus ap. Gell. N. A. 4. 11. Diog. L. 8. 20. Pythagoreis ascribit ad priscam severitatem Pythagoreorum disciplinae quadrat. cf. Rohde Kl. Schr. 2. 108. Ps. 2. 164.

Ἔμψυχα omnia ea sunt animalia, quae sanguinem habent. Eam enim esse sedem animae vitaeque una est earum opinionum, quae omnibus temporibus et locis inter cogitationes hominum simplicium inveniuntur, qui *ὁρέοντες ἀποσφαζομένους*

τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὸ αἷμα ῥέον ἐκ τοῦ σώματος τοῦτο νομίζουσιν εἶναι τὴν ψυχὴν τῶι ἀνθρώπωι (Hippocr. de nat. hom. c. 6). Atque ubicumque hanc opinionem invenimus semper fere etiam interdictum adest sanguinis bibendi vel carnis edendae, in qua etiamtum sanguis insit, quod saepe ita intenditur, ut omnino carnium esus vetetur. Cuius praecepti quae sit causa et facile per se intelligi potest et multarum gentium ferarum opinionibns apparet. Una enim cum sanguine animam quoque animalis necati in corpus ipsius qui ederet transire non credi non potuit. Hoc autem, quamquam non desunt exempla opinionis contrariae*), semper fere ei qui edit periculosum esse putatur, cum ei timendum sit, ne hoc modo in potestatem daemonis animalis veniat mentisque vel corporis aegritudine vexetur. Quin haec sit profecto origo praecepti nemo dubitabit, qui ap. Fr. 1. 352 sq. legerit, quae rationes ab ipsis eis populis, apud quos hic mos valet, redduntur. Sic „... Esthonum quidam sanguinem gustare nolunt, quia putant animam bestiae inesse, quae in corpus edentis transitura sit. Eadem de causa Indianorum Americae septentrionalis nonnullae gentes, Arabes, Papuani sanguine abstinent".

Quae si est origo interdicti, pauca sunt, quae de symbolis 15 et 16 adiciantur. Nam non minus saepe quam sanguis etiam cor vel cerebrum pro sede animae habentur, cf. praeter alios Crusius, Fleck. Jb. 1889. 654. Etiam Alcmaeonis Empedoclisque dogmata cerebrum vel cor pro animae sede accipientium non sine auctoritate quadam sententiarum popularium orta esse existimo (Alcm. cf. Diels Vors. 14. 8: *ἐν τῶι ἐγκεφάλωι εἶναι τὸ ἡγεμονικόν.* Empedocl. ib. 21. 105:

αἵματος ἐν πελάγεσσι τεθραμμένη (sc. *καρδία*) *ἀντιθορόντος*
τῆι τε νόημα μάλιστα κικλήσκεται ἀνθρώποισιν.
αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

cf. etiam Fr. 1. 362 sq. 2. 356 sq. Sine dubio eisdem de causis, quibus a sanguine, a corde quoque vel cerebro abstinebatur, quamquam hic quoque nonnunquam invenimus eas partes ultro edi ad vires illis insitas adipiscendas (cf. Fr. 2. 353). Capitibus abstinebant Aegyptii, ut tradit Herod. 2. 39, et apud Germanos interdictum cerebrorum edendorum valuisse intelligitur ex indice illo ecclesiastico ab Usenero edito (v. supra p. 20), ubi p. 84, 10: „qui abstinent a capitibus animalium".

Non credo fieri posse, ut symbolum 17 quoque, quo hominibus permittitur carne eorum animalium vesci, quae dis immolari fas sit, ex sola superstitione populari derivetur. Videtur enim sententia illa (Jambl. V. P. 95) *εἰς μόνα τῶν ζώων οὐκ εἰσέρχεται ἀνθρώπου ψυχή, οἷς θέμις ἐστὶ τυθῆναι* ideo demum

*) Romae ad morbum comitialem sanandum sanguis gladiatorum bibatur. Multa similia exempla passim exstant. cf. Fr. 2. 357 sq.

statuta esse, ut doctrina Pythagorea migrationis animarum paulatim increbrescens cum vetere more hostiarum deis immolandarum in aliquem concentum redigeretur.

18) *μαλάχης εἴργεσθαι* Jambl. V. P. 109. Protr. 21 (*μαλάχην μεταφύτευε μὲν μὴ ἔσθιε δέ.*).

Jamblichus Protr. 21 huius symboli explicationem inde sumit, quod malvae folia solis motum cotidianum sequantur, ut iam Theophrastus (c. pl. 2. 19. 5) animadverterat. Tamen alia mihi causa esse videtur, qua Pythagorei malva vesci vetiti sint. Multis enim demonstratur hanc plantam cum inferis cohaerere. Hoc vel eo intelligi potest, quod saepissime una cum asphodelo, quam herbam inferorum esse *κατ' ἐξοχήν* constat, enumeratur. Velut malva et asphodelus partes erant cibi illius *ἀλίμον*, quo Pythagoras uti solitus esse narratur, cf. Hermipp. ap. Porph. V. P. 34, eaedemque plantae simul adhibebantur in sacris purgatoriis faciendis, cf. Plut. conv. sept. sap. c. 14 Item malva cum inferorum regno coniungitur, quod Luc. ver. hist. 2. 28. Radamanthys hospiti proficiscenti malvae radicem ad pericula omnia avertenda dat, lucidissimeque mortuorum atque sepulcrorum esse plantam apparet ex amphora quadam in Graecia Magna inventa, (Heydemann, Neapl. Vasens. 2868) in qua cippus pictus est, cui inscripti sunt hi versus:

νώτωι [μὲν] μολάχην τε καὶ ἀσφόδ[ε]λον πολύριζον
κόλπωι δ' Οἰδιπόδαν Λαΐου [υ]ὸν ἔχω.

(De origine huius distichi ex Aristotelis Peplo repetenda dixit Kaibel ad Epigr. ex lap. coll. n. 1135.)

Fortasse causa, qua malva cum inferis mortuisque coniungebatur ea erat, quod, ut supra diximus, solis motum folia eius sequuntur, quae quidem movendi facultas quasi animata quadam huius plantae vi evenire videbatur, sicut vidimus Pythagoreos credidisse fabis animas hominum mortuorum inesse. Quoquo modo res se habet, certe cum malva inferorum esse putaretur, fieri non potuit, quin homines superstitione devincti huius herbae esu abstinerent, nam si quis ea, quae sunt inferorum, humanum in usum consumpserit, in potestatem illorum ipse veniat necesse est. Sic intelligi, potest, qua de causa Graeci nisi summa vel aliorum ciborum vel pecuniae inopia coacti malva abstinuerint (Hes. Op. 41. Aristoph. Plut. 543), cuius similem consuetudinem invenimus in piscibus edendis. Ceterum cum talis sit vis malvae, non est mirandum Artemidorum 1.77 (p. 70. 25 H) dicere hanc plantam solis olitoribus et agricolis fausti ominis esse, *τοῖς δὲ ἄλλοις μόχθους καὶ ἀποδημίας σημαίνει.*

Ut fit omnibus rebus, quae cum inferis cohaerere putantur, ita et malvae late patebat in rebus magicis atque in populari medicinae arte usus, cf. Diosc 2. 144. Geop. 12. 12. Plin. 20.

222—230. Neque non a Graecis recentioribus et folia et flores malvae ad varios morbos sanandos adhibentur. cf. Heldreich, Nutzpflanzen Griechenlands p. 52.

19) *τὰ πεσόντ' ἀπὸ τῆς τραπέζης μὴ ἀναιρεῖσθαι·* Aristot. ap. Diog. L. 8. 34.

Iam ab antiquis hoc praeceptum ex superstitione ortum esse intelligebatur, nam pergit Aristoteles ap. Diog. l. c.: *ὑπὲρ τοῦ ἐθίζεσθαι μὴ ἀκολάστως ἐσθίειν ἢ ὅτι ἐπὶ τελευτῇ τινος· καὶ Ἀριστοφάνης δὲ τῶν ἡρώων φησιν εἶναι τὰ πίπτοντα λέγων ἐν τοῖς Ἥρωσι·*

μηδὲ γεύεσθ' ἅττ' ἂν ἐντὸς τῆς τραπέζης καταπέσῃ.

Rohde Ps. 1. 245 alia testimonia collegit, inprimis Ath. 10. 427 E: *τοῖς τετελευτηκόσι τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν τραπεζῶν.* cf. Eurip. fr. 664 N. et quos versus affert Nauckius comicorum hanc consuetudinem irridentium. Cum efficere non potuerim, ut plura testimonia ex ipsa antiquitate sumpta adderem, eis, quae Rohdius ex aliarum gentium superstitione huic symbolo simillima adfert, non pauca habeo, quae adiciam. Nam loco Hartknochii a Rohdio citato accedunt, quae Liebrechtus „Zur Volkskunde", p. 399 de similibus consuetudinibus etiam nunc apud gentes nonnullas vulgatis comparavit, velut versiculus ille, (Zingerle l. c. 300) quo apud Tirolienses, si quae frusta deciderunt, diabolus deterreatur, qui omnia haec frusta collecta inque unum panem concocta in die iudicii, cum facta hominum pendentur, in peccatorum lancem conicecturus est:

Arme Seelen rappet
Dass 's der Tuifel nit dertappet.

Hic in locum animarum infestarum diabolus successit, quod Christianae ecclesiae auctoritate saepe factum cognoscimus, et mira inversione animae (die armen Seelen) diabolo quasi de frustis contendentes opponuntur. Paulo clarius genuinus sensus praecepti elucet altero exemplo ex Russorum superstitione sumpto, ubi daemones frusta decidentia collecta ad diabolum transferunt, qui eis eodem modo atque supra ad animam hominis capiendam utitur. Sed et in hac et in multis aliis similibus opinionibus (Zingerle 297—299) cum altera sententia de frustis a daemonibus correptis altera illa conuincta est de verecundia, quae ab hominibus pani debetur, inprimis per Germanos longe lateque diffusa (W. § 457 sq) Saepe enim a nostris pro peccato gravi habetur, si quis frustulis negligenter deiectis panem „die liebe Gottesgabe" parvi facit. Simile quoddam de Romanis narrat Plin. 28. 27: „Cibus etiam e manu prolapsus reddebatur utique per mensas vetabantque munditiarum causa deflare et sunt condita auguria quid loquenti cogitantive id acciderit, inter execratissima, si pontifici accidat

dicis causa epulanti; in mensa utique id reponi adolerique ad Larem piatio est." Contra prorsus cum hoc symbolo convenit, quod refert Bérenger-Féraud, Superstitions et survivances I. 11 „(dans la fête de famille des Provençaux) la salle à manger ne doit pas même être balayée jusqu' au lendemain. Quand les enfants toujours curieux demandent pourquoi on fait cela, la maman et les grands parents répondent sentencieusement que c'est pour que les „armettos" (les petites âmes) puissent venir à leur tour se réjouir en mangeant les miettes du repas". Item sine dubio cum vetere opinione de daemonibus sub mensa domestica versantibus cohaerent alii mores a Liebrechto enarrati, quamquam eis de pane non agitur, velut p. 320. 323.

B. De vestimentis et ornamentis corporis.

20) *δεῖ τὸν δεξιὸν ὑποδεῖσθαι πρότερον.*

Aristot. ap. Jambl. V. P. 83. *εἰς μὲν ὑπόδεσιν τὸν δεξιὸν πόδα προπάρεχε* (p. 107. 10 Pist. *πάρεχε* p. 114. 7), *εἰς δὲ ποδόνιπτρον τὸν εὐώνυμον.* cf. Zenob. 3. 36 (P. 1. 66). Hellad. ap. Phot. Bibl. 353 b 17 Bekk. Suid s. h. v. Nauck in Jambl. editione p. 233.

Manifestum est magnam similitudinem intercedere inter hoc symbolum et symb. 1. Ubi cum dixerimus Graecos semper fere partem dextram faustioris ominis esse duxisse, intelligi potest, cur dextrum calceum priorem induendum esse censuerint. Quam late haec opinio eruditis quoque temporibus apud homines doctos valuerit, ex eo patet, quod Suetonius de divo Augusto (c. 92) affert: „Si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextro induceretur, ut dirum (sc. observabat)" et Plin. 2. 24: „divos Augustus prodidit laevum sibi calceum praepostere inductum, quo die seditione militari prope adflictus est". Quocum conferas, quae apud Grimmium D. M.[4] 2. 940 Wladislao rege narrantur. Afferenda est etiam consuetudo, qua homines se contra fascinationes tueri sibi videbantur, Plin. 28. 38: „Inter amuleta est inspuere in calciamentum dextri pedis priusquam induatur". Non aliter res se habet apud Germanos, velut in eo H. Vintleri († 1419) carmine ab Zingerleo edito, (Innsbr. 1874) cui „Blume der Tugend" inscribitur, legimus:

und etleich die iehen
es sei nicht guot, das man
den tenken schuech lege an
vor dem gerechten des morgens frue.

Et Zingerleus ipse prodit opinionem hominum Tiroliensium (243): „Calceus sinister mane praepostere inductus calamitatem portendit". Plura eiusdem superstitionis Germanorum testimonia

collegit Sartori, Der Schuh im Volksglauben, Zschr. d. V. f. Volksk. 4 (1894) 151 sq.

In pedibus lavandis cur homines superstitiosi censuerint sinistrum priorem adhibendum esse, ignoro.

21) *χρυσὸν ἐχούσῃ μὴ πλησιάζειν ἐπὶ τεκνοποιίαι.* Aristot. ap. Jambl. V. P. 84. Protr. 21.

Metalla in superstitionibus antiquis diversas cognoscimus agere partes. Nam cum removentur tamquam impura a multis saepe rebus et sacris et profanis tum gratissimus est usus eorum hominibus ad varias calamitates avertendas. Atque quamquam lucidius duplex haec vis in ferro et aere perspici potest, quae et in templa deorum inferri vetabantur (Fr. 1. 345 sq) et inter fortissima daemonum propugnacula numerabantur (cf. symb. 39) tamen non desunt, quae auri eandem rationem esse habitam demonstrent, v. Plut praec. reip. ger. 26. 7: *χρυσὸν μὲν εἰς ἔνια τῶν ἱερῶν εἰσιόντες ἔξω καταλείπουσι, σίδηρον δὲ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν εἰς οὐδὲν συνεισφέρουσιν,* quod confirmatur legibus, quae exstant sacris Andaniae et Lycosurae (Coll. D.-J. 4689. *Ἐφημ. ἀρχ.* 1898. 249). Atque quod Plin. 33. 84 refert: „Aurum pluribus modis pollet in remediis, volneratisque et infantibus adplicatur, ut minus noceant quae inferantur veneficia" vix celat originem superstitiosam. Neque non vi auri averruncа factum est, ut bracteolae, quae vestibus mortuorum ad daemones propulsandos assuebantur (v. p. 21) saepissime fierent ex auro.

Jam existit quaestio, utra sit antiquior harum opinionum ac num fieri possit, ut hoc symbolum ex altera earum derivemus — Res novae nuper inventae vel importatae primo simplici hominum incultorum menti non solum suspicionem, sed etiam metum praebent, ut docemur moribus gentium ferarum, quibus nostra demum memoria res nobis usitatissimae innotuerunt, (cf. quae Fr. de hoc rerum novarum timore (dread of innovation) adfert p. 346 sq) quas inter praecipue metalla sunt. Pro auctoribus autem huius metus daemones accipiebantur, quorum in dicione metalla essent, quin etiam ipsis inesse putabantur, v. Aristotelem ap. Porph. V. P. § 41: *τὸν δ'ἐκ χαλκοῦ κρουομένου γενόμενον ἦχον φωνὴν εἶναί τινος τῶν δαιμόνον ἐναπειλημμένου τῶι χαλκῶι,* quod quamquam *μυστικῶι τρόπωι συμβολικῶς* Pythagoram dixisse Porphyrius confirmat, tamen re vera sine dubio ex opinionibus rudissimis ortum est, cf. Frazer, Folk-Lore 1. 149. Quaecumque autem cum daemonibus qualibet ratione cohaerebant in templa inferre vel ad res sacras faciendas adhibere nefas erat et piaculum. Quin etiam lustrationes fiebant apud fratres Arvales, si quando in luco sacro Deae Diae necessarium fuerat inscriptiones instrumentis ferreis insculpi, cf. Henzen, acta fr. arv. p. 128—135, ac si iam fas

erat ferro in templis ad talia uti, ultro cavebatur (cf. Henzen l. c. de templo Jovis Liberi Furfoniensis). Postea demum mente hominum paulo iam adultiore usus metallorum liberior fiebat et facile perspici potest homines utilitate ac vi eorum semel cognita ea ad daemones avertendos valida duxisse. Sed manserunt vestigia illius opinionis antiquioris et in rebus sacris, ut cum alia tum leges illae sacrae docent, et in vita cotidiana. Ea enim, quae cum daemonibus cohaerent, non solum delubra deorum polluere sed etiam omnino homini tamquam perniciosa reicienda esse existimabantur.

Digressionibus ut magnis ita necessariis eo deducti sumus, ut iam paucis sensum symboli explicare valeamus. Cum enim inter multa daemonum maleficia saepissime id reperiatur, ut feminas steriles vel partum gravem reddant, apertum est, cur in liberis procreandis periculosum habitum sit feminas ornamenta ex auro daemonum vi imbuto facta gestare. Eandem subesse suspicionem Plinii verbis arbitror, qui l. l. (33, 84) pergit: „Est ét ipsi superlato vis malefica gallinarnm quoque et pecuariorum feturis".

Operam dedi, ut in hoc symbolo explicando antiquis maxime testimoniis uterer. Eandem autem esse vim metallorum apud diversissimas totius orbis gentes docent Fr. 1. 345 sq. Blau, Altjüdisches Zauberwesen p. 159. W § 581.

22) *δακτύλιον μὴ φόρει.* Jambl. Protr. 21. Clem. strom. 5.5.28. *μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον.* Androc. ap. Pspl. l. c. Mantiss. prov. 2. 17 (P. 2. 761).

Superstitionem, quae huic symbolo subest, perspiciemus, cum quasdam multarum illarum caerimoniarum antiquissimis ex temporibus servatarum contulerimus, quibus vita flaminis Dialis regebatur. Fab. Pict ap. Gell. 10.15.5 refert: „Dialem ... anulo uti nisi pervio cassoque fas non est ... (9) Nodum in apice neque in cinctu neque in alia parte ullum habet. ... (12) Et hederam et fabam neque tangere Diali mos est neque nominare". cf. Festi epitomatorem Paulum p. 58. 16 Th., qui interdicto hederae tangendae addit: „pro eo quod edera vincit". Hedera igitur nodus anulus quasi symbola erant vinculorum, quae maxime ab Dialis cum corpore tum anima abesse debebant. Cuius rationis simplicitas, qûae similis est gentium ferarum rudissimis opinionibus, docet ex antiquissimis temporibus has flaminis Dialis caerimonias ortum repetere. Tamen non dubium est, quin superstitio huius symboli etiam antiquior sit, nam iterum atque iterum in historia religionis et superstitionis cognoscimus praecepta et instituta superstitiosa e vita communi pulsa in templa deorum confugere.

Quamquam apud Homerum anulorum non fit mentio, tamen multidudine nostris temporibus repertorum colligi potest, usum

huius ornamenti iam illa aetate, quam Mycenaeam vocare solemus, vulgatum fuisse. Quo manifestum est opinionem, quae huic symbolo subest, ortam esse ex superstitionibus multo antiquioribus illa aetate, quarum causa sine dubio eadem erat atque in flamine Diali. Anulus propter formam suam vincula impedimenta moras significare ideoque ad omnes res humanas infausti ominis esse videbatur (cf. quae de nodis diximus p. 9). Eadem de causa et Romani et Judaei antiqui ante cenam anulos detrahebant, cf Plin. 28. 5. Haberland, Zschr. f. Völkerpsychol. 18. 259.

Alia ratione Fr. 1. 401 hoc symbolum interpretari conatus est. Adfert enim morem incolarum Carpathi insulae maris Aegaei, qui curant, ut hominibus mortuis anuli de digitis detrahantur, cum dicunt animam, si vel in digito minimo retineatur, quietem capere non posse, quae consuetudo et apud Tirolienses (Zing. 432) et apud nostros invenitur, ut ego expertus scio, neque non, quod Frazerum fugit, apud Romanos teste Plinio 33. 27: „gravatis somno aut morientibus anuli detrahuntur". Sed vix credi potest ex opinionibus, quae huic consuetudini subsunt, symbolum ortum esse. Quamquam enim illae superstitiones et ipsae anulo vim impedientem attribuunt atque ideo iure cum hoc symbolo comparari possunt, tamen ad alium quendam cogitationum ordinem referendae sunt. Anulus enim morientibus detrahitur, ut anima facilius egredi possit, dormientibus, ne impediatur, quominus per somnia vagata commode in corpus redeat. (de anima in somno extra corpus vagante multarum gentium opiniones collegit Fr. 1. 255—60.) Hae autem sententiae et ipsae ortae sunt ex communi illa de vi impediente anuli, cuius vestigia sunt et flaminis Dialis religio et opinio, quae huic quoque symbolo ortum dedit.

Ceterum non habeo, quae ipsius antiquitatis cum hoc symbolo comparem, nisi legem sacram Lycosurae a Frazero iam exhibitam (Ἐφ. ἀρχ. 98): *Μὴ ἐξέστω παρέρπην ἐν τὸ ἱερὸν τᾶς Δεσποίνας μὴ χρυσία* (v. p. 28) *ὅσα μὴ ἰν ἀνάθεμα* . . . . *μηδὲ δακτύλιον.* Item in Fordicalibus celebrandis (Ov. Fast. 4. 658 sq.) „usus abest Veneris nec fas animalia mensis
ponere nec digitis anulus ullus inest".

C. De mortuis sepeliendis.

23) *κατακάειν δὲ οὐκ εἴα τὰ σώματα τῶν τελευτησάντων.* Jambl. V. P. 154.

Pythagoras cum vetuit mortuorum comburi corpora morem antiquissimum restituebat. Nam non solum apud Graecos sed etiam omnino apud omnes gentes Indogermanicas hunc morem tempore priorem fuisse atque paulatim demum consuetudini

cremandi cessisse demonstratur antiquissimis sepulcris, quae nostris temporibus detecta sunt, cf. Schrader, Reall. 76 sq. Huius mutationis quae fuerit causa summa est adhuc dissensio virorum doctorum neque credo umquam dilucide diiudicatum iri. Atque ne Rohdius quidem, qui putat homines ideo consuesse mortuos comburere, ut ipsi se ab animis redeuntibus defenderent (Ps. 1. 27 sq.), satis demonstravit qua de causa apud omnes populos sepultura crematione antiquior esset.

24) *τοὺς δὲ τελευτήσαντας ἐν λευκαῖς ἐσθῆσι προπέμπειν ὅσιον ἐνόμιζε.* Jambl. V. P. 155.

Huius symboli praeceptum respondet mori per totam Graeciam communi mortuos albis vestimentis indutos sepeliendi, v. Artemid. 2. 3 (p. 86. 17 H): *ἀνδρὶ δὲ νοσοῦντι λευκὰ ἔχειν ἱμάτια θάνατον προσαγορεύει διὰ τὸ τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι*, cf. ib. 4 2 (p. 205. 11), cuiusmodi somnii exemplum tradit Paus. 4. 13. 3 de Aristodemo Messenio. Lex antiqua sepulcralis Julide in oppido Cei insula inventa praescribit (Dittenb. Syll. [2] 2. 877[1]): *κατὰ [τά]δε θά[πτ]εν τὸν θανόντα· ἐν ἐμ[ατ]ίο[ις τρι]σὶ λευκοῖς, στρώματι καὶ ἐνδύματι [καὶ ἐ]πιβλήματι.*

Qui mos non tam ex certa quadam superstitione quam ex cogitationibus omnibus fere hominibus communibus ortus esse videtur. Quicumque enim mortuis suis officia pietatis praestant volunt eos quam purissimos et corpore et vestitu iter supremum ingredi. Ita Graeci quoque et mortuos lavabant (cf. Plato Phaed. 115 A. Eurip. Phoen. 1667. Isaeus de Philoct. 41) et vestibus puris (*καθαροῖσιν ἐν εἵμασιν.* Archil. ap. Plut. de aud. poet. c. 6) indutos sepeliebant, inprimis albis, quo in colore munditia maxime conspicua est. Accedit quod color albus, ut ad symb. 2 diximus, dis gratissimus habebatur, mortui autem deis sunt consecrati, cf. symb. 14.

25) *κυπαρισσίνην δὲ μὴ δεῖν κατασκευάζεσθαι σορόν.* Jambl. V. P. 155. Hermipp. ap. Diog. L. 8. 10.

Explicatio nimis longe arcessita, quam Jamblichus et Diogenes Hermippo auctore symbolo addunt dicentes loculis cupresseis utendum non esse, quia Jovis sceptrum e cupresso factum sit, sine dubio verum sensum praecepti non exprimit et verisimile est, eam ab ipso Hermippo excogitatam esse. Nam raro res mythologicae tam subtiliter distinctae in superstitione populari inveniuntur, ex qua plurima symbola orta sunt. Semel arcarum cupressearum mentio fit apud Thucydidem 2. 34. 3, ubi narratur Athenienses ossa eorum, qui pro patria pugnantes occiderunt, in loculis cupresseis condita publico sumptu sepelire solitos esse. Quod Thucydides ultro genus ligni nominat, documento est non vulgo hac materia usos esse Athenienses

ad arcas faciendas. Causa facile intelligitur. Erat enim lignum cupressi pretiosissimum neque adhibebatur nisi ad res ingenti pretio dignas velut deorum statuas templorum postes, quibus vel eo erat aptissimum, quod putori diu resistit (Theophr. h pl. 5. 4. 2. Plin. 16. 212. 223 Schol. in Thuc. l. 1.) Itaque et quod Athenienses illi in arcis cupresseis efferebantur fiebat ad supremum honorem augendum et quod Pythagoras suos hoc ligno ad hunc usum abstinere iussit, eos monere voluit, ut parsimoniae studerent neque in mortuis efferendis nimia luxuria uterentur. cf Lob. Agl. 896.

D. De animalibus sacris.

26) *χελιδόνας ἐν οἰκίαι μὴ δέχεσθαι.* Androc. ap. Porph. V.P. 42. Diog. L 8. 17. — Plut. qu. conv. 8. 7. Clem. strom. 5. 5. 28. — Jambl. Protr. 21.

Quamquam saepe cognosci potest hirundinem a Graecis animal hominibus amicum putari magnaque laetitia vere incunte salutari (Hes. op. 568 sq. Anthol. lyr. ed. Hiller [4] p. 324 Monum. dell' inst. 2. 24) et libenter tecto excipi solitam esse (Babr. 118. 1. 12. 14), tamen eadem infausti ominis esse habebatur, ut apparet ex huiusmodi locis: Artemid. 2. 66. p. 157, 11 H: *φασί γὰρ τὸ ζῶιον θάνατόν τε σημαίνειν ἀώρων σωμάτων καὶ λύπην μεγάλην.* Dio Cass. 50. 15, de Cleopatra: *ταύτην γὰρ τὴν γνώμην ἔσχεν ἐπειδὴ ὑπὸ σημείων ἐταράχθη. χελιδόνες τε γὰρ περί τε τὴν σκηνὴν αὐτῆς καὶ ἐν τῆι νηὶ τῆι στρατηγίδι ἐφ' ἧς ἐπέπλει ἐνεόττευσαν.* cf. Plut. Anton. 60. Ael. n. a. 10. 34. Obsequ. 28. Arrian. anab. 1. 25. 6.

Sicut luscinia soror propter lamentabilem suam vocem avis mortuorem et sepulcrorum est, ita et ipsa hirundo saepe invenitur in monumentis sepulcralibus, quin etiam in Sophoclis tumulo hirundo posita esse dicitur (Keller, Tiere des klass. Altert. p. 315). Cum igitur videamus hirundinem et in mortuorum cultu valere et pro omine infausto, si quo loco apparuisset, habitam esse, non dubitandum nobis est, quin praeter opinionem, qua hirundines ut animalia salutaria libenter excipiebantur, altera quaedam apud antiquos fuerit hirundines reformidans, cuius opinionis hoc symbolum specimen est.

Tales superstitiones ex eo ortas esse censeo, ex quo etiam omnes fabellae, quibus homines in avem aliquam mutati esse narrantur, ut Tereus, Procne, Philomela, Meleagrides, Memnonides aliique; scilicet homines putabant aminas mortuorum ut aliorum animalium, apium, papilionum, mustelarum, murinm, ita avium formam induere, qua de re nuper egregie egit G. Weickerus, der Seelenvogel, cf. inprimis p. 20 - 28 Ad eandem animarum cum avibus coniunctionem refero Porph. de abst. 4. 16: *ὅστις δὲ φασμάτων φύσιν ἱστόρησεν οἶδεν καθ' ὃν λόγον απέχεσθαι*

χοὴ πάντων ὀρνίθων καὶ μάλιστα ὅταν σπεύδει τις ἐκ τῶν χθονίων ἀπαλλαγῆναι καὶ πρὸς τοὺς οὐρανίους θεοὺς ἱδρυνθῆναι. v. ibid. p. 255. 3 sq. N. [2]. Quae eadem sententia invenitur apud alias quoque gentes, cf. Gervas de Tilb. p. 115 Liebr., praesertim apud Germanos, cf. Grimm D. M. [4] 2. 690. 944. Hirundo praecipue avis animis mortuorum conveniens fortasse eo iudicabatur, quod eius vox fritinniens similis esse videbatur eius quae animis tribuebatur (Il. Ψ. 101. Od. ω. 5. 9. Welcker, Gr. Götterl. 1. 810).

Apud Germanos, ut omnes a pueris scimus, hirundo vulgo pro animali grato et hominibus amico habetur. Tamen non desunt opiniones, quibus perspiciatur apud nos quoque hirundinem interdum infaustam putari, veluti „Chemnitzer Rockenphilosophie" ap. Grimm D. M. [4] 3. 439: Hirundines sub tecto nidificantes paupertatem, passeres divitias praesagiunt. ib. 446: Qua in domo hirundines nidos reficiunt in ea eodem anno aliquis moritur. W. 159: Hirundinibus in fumario nidificantibus vituli non proveniunt. Quam superstitionem si coniungimus cum alia quadam Prussiae occidentalis, quam Mannhardtius, Roggenwolf und Roggenhund p. 40, adfert, apparet quam apte interpretatio symboli a nobis tentata quadret in vulgi cogitationes. Ibi enim homines putant animas mortuorum avium sub forma in fumariis sedere donec corpus sepeliatur. cf. etiam Knoop, Volkssagen a. d. östl. Hinterpommern 171. Ceterum apud huius quoque aetatis Syrios hirundo animal infaustum habetur, cum putent eum, qui vel hirundinem vel ranam manu tetigerit, in febrim incidere, cf. Eijub Abela, Zeitschr. d. Palästina-Vereins 7 (1894) p. 95.

27) γαμψώνυχα μὴ τρέφειν. Androc. ap. Tryphonem rhet. gr. Spengel 3. 193. Diog. L. 8. 17. — Plut. qu. conv. 8. 7. — Jambl. Protr. 21.

Hoc quoque symbolum ut perspiciamus Weickerus nos adiuvat. Cuius operis cum inspexerimus praecipue tabulas, intelligemus antiquos sibi sirenes, quas aves fabulosas maxime ex cogitationibus de specie et forma animarum natas esse Weickerus evincit, unguibus saevissimis praeditas esse animo finxisse, inspicias velim praecipue p. 36. Eadem forma κῆρες, quae et ipsae nihil aliud significant nisi animas mortuorum (Rohde Ps. 1. 239), esse putabantur, v. Hes. sc., ubi κῆρες describuntur v. 253 sq.

ἀμφὶ μὲν αὐτῶι
βάλλ' ὄνυχας μεγάλους, ψυχὴ δ' Ἄιδοσδε κατῆιεν
Τάρταρον ἐς κρυόενθ'....

v. 263: ἐν δ' ὄνυχας χεῖρας τε θρασείας ἰσώσαντο. Eundem in modum Κὴρ in Cypseli arca ficta erat: Paus. 5. 19. 1: καὶ οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσιν ἐπικαμπεῖς οἱ ὄνυχες. Quin etiam

Eustathius Byzantiniis temporibus de larvis illis ita dicit: (opusc. 314. 30 T.) *καὶ χεῖρας τὰς οὕτω πολυβόρους τὰς γαμψώνυχας.* Manifcstum est, qua de causa illis daemonibus ab opinione populari ungues acres attributi sint; credebant enim illas larvas homines lacerare ad sanguinem eorum bibendum atque cadavera virorum in proeliis necatorum trahere ac rapere (Il. Σ 534 sq. Hes. l. l.), cf. scholiastam Aristophanis, qui verbis poetae terribilem quendam daemonem nocturnum depingentis *μεγάλους ὄνυχας ἔχοντα* addit: *ὡς πάνυ τὰς ψυχὰς σπαράττοντα.* Ceterum recentiores quoque Graeci talia inferorum numina non alia forma praedita depingunt, cum et Charum, qui idem est ac *Χάρων*, et Kalikantsaros, qui daemones vampyris et lycanthropis aliarum gentium respondent, unguibus magnis armatos esse credant (cf. B. Schmidt, Volksl. d. Neugr. p. 145, p. 228).

Verisimile est populi opinionem de his terribilibus larvis paulatim etiam ad eas aves deductam esse, quae et ipsae recurvatis unguibus armatae sunt, ut praeter ceteras vultures qui vel ideo, quia maxime carne cadaverum vivunt, daemonibus illis similes esse videbantur. Eo referendum est, quod Tzetz. ad Lycophr. 653 dicit de Harpyis: *αἱ Ἅρπυιαι ἐν Θράκῃ ὦτα ἄρκτων σώματα γυπῶν πρόσωπα κορῶν ἔχουσαι.* Item Pausanias Eurynomum Polygnoti daemonem terribili aspectu, qui corpora tabefacta hominum lacerat, depingens (10, 28. 4) adicit: *καθεζομένῳ δὲ ὑπέστρωταί οἱ δέρμα γυπός*, qua re significatur Eurynomum in vulturis formam se commutare solere, ut demonstrat Roscherus, Abh. d. phil.-hist. Kl. d. Kgl. Sächs. Ges. d. Wiss. 1897 p. 47 A 136. Idem vir doctus l. c. p. 68 sq. docet, qua ratione haec opinio oriri potuerit multis recentiorum naturalium rerum scriptorum testimoniis adiectis de natura proprietateque vulturum. Neque dubito, quin hac maxime de causa vultures semper fere pro animalibus infausti ominis habiti sint, cf. Artemid. 1. 20 (p. 113. 7 H).

Iam sensus symboli elucet: Hominibus superstitiosis omnes aves, quae unguibus uncis armatae sunt, suspicioni erant, ne vires infestas maioresque pro natura bestiarum in se haberent, ideoque cavebant, ne eas domi secum haberent.

E. De plantis sacris.

28) *κέδρωι δὲ λέγει καὶ δάφνῃ καὶ κυπαρίττωι καὶ δρυῒ καὶ μυρρίνῃ τοὺς θεοὺς τιμᾶν καὶ μηδὲν τούτοις ἀποκαθαίρεσθαι τοῦ σώματος μηδὲ σχινίζειν* (corr. anon. Arcerii: *σχίζειν*) *τοὺς ὀδόντας.* Jambl. V. P. 154.

Duo praecepta maxime diversa hoc symbolo continentur; alterum enim latius patet, cum hae arbores multis modis ad

deorum cultum conferri possint, alterum est de certis rebus vitae cotidianae eisque vilissimis. Quod abhorret ab forma usitata ceterorum symbolorum omnium. Atque equidem non dubito, quin haec inconcinnitas Iamblicho vel auctori eius debeatur atque opinor partem priorem symboli pro argumentatione inferiori praemissa accipiendam esse, quasi dicatur *θεοὶ γὰρ τούτοις τιμητέοι* vel *θεῶν γάρ εἰσιν*. Itaque, ut semper fere antiquas interpretationes aut omnino aut aliquam in partem omittendas esse cognovimus, ita hic quoque conabimur iudicio non praeoccupato ad symbolum explicandum aggredi. Tamen intelligemus hoc symbolum unum esse eorum quae ad enucleanda via ab interprete antiquo monstrata ingredientes tuto ad calcem pervenire possumus.

Recordatus eorum, quae supra de cupresso diximus, fortasse iudices haec quoque praecepta inde orta esse, quod non solum cupressi sed etiam ceterarum arborum cedri lauri quercus myrti ligna pretiosissima erant, quod quercu excepta facile demonstrari potest. Trabibus cedrinis et cupresseis templa et aedificia magnificentissima ornabantur, ut templum Dianae Ephesiae (Theophr. h. pl. 5. 4. 2. Plin. 16. 213.) Apollinis Uticensis (ib. 16. 216) vel regiae Persepolis (Curt. 3. 7. 5) et Ecbatanorum (Polyb. 10. 27 10). Arca Cypseli, clarissimum Olympiae ornamentum, secundum Pausaniam (5. 17. 2): *κέδρου μὲν πεποίηται, ζώιδια δὲ ἐλέφαντος ἐπ' αὐτῆς, τὰ δὲ χρυσοῦ τὰ δὲ καὶ ἐξ αὐτῆς ἐστιν εἰργασμένα τῆς κέδρου.* De lauri et myrti ligno iam minus certi sumus, quia propter infirmitatem neque ad aedificandum neque ad exsculpenda signa idonea erant; tamen cum una cum cedro et cupresso enumerentur inter ea ligna, quibus Calanus philosophus Indicus Alexandri Magni ante oculos vivum se comburi iussit, etiam illa satis pretiosa fuisse concludendum est. Totum enim illud funus voluntarium summo sumptu exornabatur. cf. Ael. v. h. 5. 6. Tamen omnibus his testimoniis, quibus permulta addi possunt, nihil efficitur. Res humanae enim, quarum in usum haec ligna conferri vetantur, tam parvulas postulant particulas, ut ineptissimum sit cuiquam vitio luxuriae dare, quod forte de trabe cupressea assulam ad dentes fodiendos deciderit.

Hic opportune nobis occurrit argumentatio interpretis antiqui, qui dixit his lignis deos colendos esse. Sane si huic usui destinata erant, eis ad res humanas quamvis exiguas abuti nefas habendum erat. Honorabantur autem dei his lignis, quae excepta quercu inter suffimenta optime olentia sunt, in sacris faciendis adhibitis. Tum laurus quercus myrtus ad certos deos referuntur multumque valent in illorum cultu. Laurum Apollinis esse notissimum est, quamobrem et in divinatione et in rebus purgatoriis, quorum utrumque Apollinis religio amplectebatur, eius usum invenimus, sicut Pythia in oraculis dandis lauri co-

ronam in capite ramum in manibus habet. quin etiam ad *ἔκστασιν* movendam lauri folia dentibus mandit (Luc. bis accus. 1. cf. Rohde Ps. 2. 58. Tztz. ad Lycophr. 6: *οἱ μάντεις δάφνας ἐσθίοντες ἐμαντεύοντο.* Geop. 11. 2. 5). In sacris purgatoriis is, qui purgatur, ramo lauri aqua sacrata perfuso aspergitur (Plin. 15. 138. Ov. Fast. 4. 725. Diels, sib. Bl. 120). Qua ex vi religiosa lauri ortae sunt multae opiniones populares, non aliter atque in superstitione Germanorum cum ecclesiae Christianae symbolis, ut pane vinoque Coenae Sacrae aquaque sacrata, variae sententiae superstitiosae coniunctae sunt. Itaque lauro vis daemonum propellendorum attribuitur, v Theophr Char. 16. 2. in *δεισιδαίμονι* describendo: *περιρρανάμενος ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ δάφνην εἰς τὸ στόμα λαβὼν οὕτω τὴν ἡμέραν περιπατεῖν*, nam *ἔνθα ἂν ᾖ ἡ δάφνη ἐκποδὼν δαίμονες* (Geop. 11. 2. 5. Boisson. Anecd. 1. 425. Porph. ap. Euseb. pr ev. 3. 112 B. Zenob. Cent. 3. 12 (P. 1. 61) Diog. Cent. 4. 14 (P. 1. 234). — Quercus nisi quod interdum Rheae (Schol. in Apollon. Arg. 1. 1124) vel Pani (Paus. 8. 54. 3) attribuitur, Jovis sacra est, ut vel Homerus docet (cf. Arist. Av. 480), in strepitu quercus Dodoneae Jovis vocem audiri arbitrabantur (Od. ξ 327). — Myrtus denique, ut inter omnes constat, Veneris est (cf. Bötticher, Baumkultus p. 444 sq.). Contra cupressi in certorum deorum cultu vis minus patet. Quas enim rationes Lejard, Récherches sur le cult du cyprès pyramidal, Paris 1854, inter cupressum multorumque Olympiorum cultus inprimis Veneris intercessisse dicit, aut maxime dubiae sunt aut certe ad recentissima tempora imperii Romani referendae. Sed alia est vis religiosa huius arboris, erat inferorum sacra et apud Graecos et apud Romanos. De Romanorum usu cupressi in rebus funebris non opus est disserere, de Graecis exstat testimonium luculentissimum Servii ad Aen. 3. 680: „apud Atticos funestae domus huius fronde velantur“. Cupresso igitur abstinuisse homines superstitiosos sumemus metu inferorum commotos, ne quid detrimenti caperent sacra eorum arbore suum in usum abutentes. Qua in re notandum est myrtum quoque multum valuisse in cultu inferorum, cf. Eur. El. 323. Schol. in Pind. Isthm. 3. 117. Eur. Alc. 170 sq. Plut. Aristid. 21. 3. Ath. Mitt. 18. 185. Pythagoreos ipsos Plin. 35 160 narrat corpora defunctorum in myrti et oleae et populi nigrae foliis posita sepelire solitos esse. Neque solum in mortuis sepeliendis sed etiam in mysteriis, quae cum inferorum cultu artissime cohaerent, myrti fiebat usus, v. Schol. in Aristoph. Ran. 330: *μυρσίνῳ στεφάνῳ ἐστεφανοῦντο οἱ μεμυημένοι, οὐχ ὥς τινες νομίζουσιν κισσίνῳ. ὁ δὲ Ἀπολλόδωρος καὶ τοὺς θεσμοθέτας φησὶ διὰ τοῦτο μυρσίνῃ στέφεσθαι, ὅτι οἰκείως ἔχει πρὸς τὸ φυτὸν ἡ θεὸς καὶ ὅτι τοῖς χθονίοις ἀφιέρωτο.*

Postremo quid homines a cedro deterruerit ignoro, nam neque cuiquam deorum superorum neque inferorum neque mortuorum sacra est. Fortasse hominibus superstitiosis eo suspicioni erat,

quod olei vel resinae eius fiebat usus in cadaveribus tractandis, quae diu a putredine servare putabatur; quin etiam mirabiliores vires cedri ligno ascribit Diosc. m. m. 1. 105: *δύναμιν δὲ ἔχει σηπτικὴν μὲν τῶν ἐμψύχων φυλακτικὴν δὲ τῶν νεκρῶν σωμάτων, ὅθεν καὶ νεκροῦ ζωήν τινες αὐτὴν ἐκάλεσαν*, cf. Plin. 24. 17.

Cum semel ad arbores deducti simus iam veniat in disputationem symbolum

29) *μηδὲ φοίνικα φυτεύειν.* Plut. de Is. 354 F. Hippol. Ref 6. 27.

De ratione, quae inter palmam et cultum Apollinis intercedit (Od. ζ 162. Hymn. in Apoll. Del. 117. Plut. conv. VII sap. 21, de Pyth. orac. 12. Paus. 10. 15. 3) cogitari non potest. Nam tum expectaremus palmam vel laedi vel caedi nefas iudicari. Neque interpretis antiqui argumentatio mihi probatur: *φιλονικίαν ἐν οἰκίαι μὴ κατασκεύαζε. μάχης γὰρ καὶ διαφορᾶς ἐστιν ὁ φοῖνιξ σημεῖον.* (Hippol, l. l.) Equidem persuasum habeo explicatione tam ex longinquo arcessita opus non esse. Atque primum quidem fieri potest, ut timor ille novarum rerum, de quo in metallis diximus, hominibus simplicibus palmam in suspicionem vocaverit, praesertim cum in palmis non deessent, quae tale quiddam efficere possent, cum alia tum quod animali ratione caprificari solebant, quam rem scriptores non sine admiratione describunt, Theophr. h. pl. 2. 8. 4. Plin. 13. 35. Sed licet hoc neglegendum non sit in symbolo interpretando, tamen ratio multo simplicior maioris momenti mihi fuisse videtur. Nam cum cultura palmarum multos praebeat labores ac difficultates, ut cognoscimus Theophr. h. pl. 2. 6. 2 sq. Geop. 10. 3 sq., neque Graeciae neque Italiae sole fructus earum ad maturitatem percoquuntur (Theophr. h. pl. 3. 3. 5. Varro de r. r. 2. 1. 27., 2. 2. 8. Plin. 13. 26), nonne intellegis, cur rusticus antiquus quasi nefas duxerit in arbore tam inutili quamvis esset speciosissima tempore et viribus abuti? Est igitur hoc symbolum unum eorum, quae multum absunt a superstitione, cuius modi plura infra exhibebimus. Et quoniam apud rusticos et agricolas superstitio semper plurimum valuit valetque, facile perspicitur, quare hoc praeceptum rusticum cum superstitionibus illis coniunctum tradatur.

F. De supellectile domestica.

30) *ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν.* Androcyd. ap. Tryph. l. c. Demetr. Byz. (Athen. 10. 452). Pspl. l. c. Porph. V. P. 42. Diog. L. 8. 17. — Jambl. Protr. 21. — id. V. P. 186. — Clem. strom. 5. 5. 30.

31) *σάρον μὴ ὑπερβαίνειν.* Plut. qu. Rom. 112. qu. conv. 8. 7. (Hippol. Ref. 6. 27: *ἄσαρον μὴ ὑπερβαίνειν*).

32) *ἐπὶ χοίνικος μὴ καθίζειν* Androcyd. eisdem locis ac in symb. 30, praeterea Mantissa prov. 1. 58. — Plutarch. qu. Rom. c. 72. 112. qu. conv. 7. 6. 1. de Is. 354 F. Numa c. 14. — Jambl. Protr. 21.

Duo horum symbolorum, 30 et 32, a multis antiquis scriptoribus, afferuntur, partim pro exemplis symbolorum Pythagoricorum partim inter proverbia communia. Interpretantur autem utrumque ethice, velut symbolo 30 significari volunt modum iustitiae non esse transgrediendum et symbolum 32 iubere aut simpliciter inertiam fugere (Porph. Pspl.) aut non solum cibo hodierni sed etiam crastini diei esse consulendum, nam ἡ χοῖνιξ erat modus cibi cotidiani. (Tryph. Demetr. Diog. L. Plut. qu. conv.). Quas interpretationes morales reiciendas esse cognoscemus, nam haec quoque symbola ex superstitione provenerunt.

Quod attinet ad symbola 30 et 31 in praeceptis superstitiosis saepissime interdicitur, ne certae res transeantur. Quod qua de causa vetitum sit, facile perspici potest. Timebant, ne vel res transita (vide exempla multa quae collegit Fr. 1. 330) vel is qui transcenderet, a daemonibus opprimeretur, prout vel illa vel hic vi illorum praeditus esset. Itaque si mulier gravida ovum corvineum vel viperam vel amphisbaenam (Plin. 30. 130) vel castoreum (ib. 32. 133) vel sanguinem menstrualem (28. 50), quae omnes sunt res magicae, transierat, abortum factura esse iudicabatur. cf. W. 572: „Femina praegnans ne temonem neve irpicem sursum versum transeat". Qua de causa iugo*) vis nocens adscripta sit, neque ex antiquis scriptoribus colligi potest neque aliarum gentium superstitionibus comparatis cognoscere possumus, nisi quod apud Croates his quoque temporibus iugum in rebus magicis ritibusque sepulcralibus adhibetur cf. F. S. Krauss, der Tod in Sitte, Brauch und Glauben der Südslaven. Zeitschr. d. V. f. Volksk. 1. (1891) 152.

Facilius perspicitur qua ratione scopae**) vi magica praeditae esse vel esse posse putatae ideoque transiri vetitae sint, quod interdictum saepe inter superstitiones aliorum quoque

---

*) Antiqui interpretes, quos sequitur Goettlingus, ζυγὸν pro statera accipiunt, quod sine dubio falsum esse exemplis collatis elucet.

**) σάρον, hunc enim accentum postulat Hesychius, proprie certum quoddam genus scoparum, quod in areis usui erat. significare docet Poll. 6. 94. 10. 29. Et ex Poll. et ex aliis (Phot. Lex. 2. 141 Nab. Thom. Mag. 201. 8 Rl. Phryn. 83. 4 Lob.) apertum fit, σάρον semper idem esse ac „scopas", nunquam ac „purgamenta", ut Goettlingus vertit. — Hippol. Ref. 6. 27 habet: ἄσαρον μὴ ὑπέρβαινε neque hic cum Roepero σάρον scribendum est, ut argumentatio docet: μικροῦ πράγματος μὴ καταφρόνει. Quamquam de asari vel baccaris plantae vi magica atque salubri quaedam tradita sunt (Verg. Buc. 7. 27. Diosc. m. m. 1. 9. Geop. 7. 20. 7. Plin. 12. 47., 14. 107., 21. 134, 26. 113) tamen putaverim Hippolyti formam ab ipso vel ab auctore eius interpolatam esse σάρου sensu non intellecto.

populorum exstat, et Germanorum (W. 574. 610) et Indorum (Fr. Folk-Lore 1. 157). Eo enim, quod scoparum usus fit ad purgamenta everrenda, quae omnibus in superstitionibus vi magica praedita et daemonibus subiecta esse constat, fieri non potuit, quin ipsae scopae ab hominibus superstitiosis reformidarentur. Eodem fonte quo hoc symbolum alia superstitio Europae orientalis fluxit, quam refert Krauss l. c. p. 184: „Neque homines neque bestias scopis ferire fas est, nam propinqui vel pecudes ferientis a Deo everrentur, id est, morti tradentur". Idem de Wendis narrat Veckenstedt, Wend. Sagen etc. p. 445. 4, 461. 71. Deinde quis nescit, quam arte apud nostros scopae cum maleficis mulieribus, quas „Hexen" nominant, conexae sint. Quin etiam Bohemiae rustici credunt homines improbos post mortem in scopas immutari posse. Item vetatur mensas et scamna scopis verri, nam si quis in scamno tali modo purgato consederit in morbum gravem incasurus est, (W. 609) nimirum scamna scopis tacta viribus magicis imbuuntur, quare homines s e d e n t e s in illis a daemonibus opprimuntur. Ex hac sententia fluxit et Hesiodi praeceptum op. 780:

μηδ' ἐπ' ἀκινήτοισιν καθιζέμεν, οὐ γὰρ ἄμεινον κτλ.

et symbolum *ἐπὶ χοίνικος μὴ καθιζειν.**)

Quomodo factum sit, ut modii a daemonibus fascinari solere putaverint, non magis patet quam qua de causa apud Columell. 8. 5. 16 cribro vicario et in superstitione Germanorum cratibus vel aliis rusticorum instrumentis eiusmodi vis attribuatur. Apud alias quoque gentes modium vel similia vasa daemonibus obnoxia putari colligi potest ex superstitione quadam Francogallorum (Franz. Abergl. ap. Liebrecht, Gerv. d. Tilb. p. 220. 24): On ne sçauroit exempter de péché ceux qui mettent du sel (de sale ad daemones avertendos adhibits cf. infra p. 44 sq.) dans la b a r a t t e, de peur qu'on n' empêche le beurre de se faire. Frustra adhuc studui apud antiquos reperire quod quadret in hoc symbolum, simillima autem sunt haec praecepta incolarum Palatiae superioris montisque Vosegi (W. 620): „Man darf sich nicht auf den Backtrog setzen, sonst wird das Brot spindig". et Sauvé, Folklore des Hautes Vosges p. 383: „Il faut se garder sous peine de malheur de placer quelque objet que ce soit sur un pétrin, pendant que la pâte est en fermentation". Tamen fieri potest, ut hoc praeceptum minime superstitiosum sit. Nam profecto fermentatio farinae motu quamvis levissimo impeditur.

---

*) Mirum in modum et scoparum et haec superstitio coniungitur in orientali quadam opinione, v. Lewy, Morgenländ. Aberglaube in der röm. Kaiserzeit, Zschr. des Vereins f. Volksk. 3 (1893) 23 sq. Ibid. 32: „Si quis dicit: Inside scopis, ut somnia habeas vel ne insideas scopis, ne somnia habeas, inter mores paganorum habendum est".

33) *πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν* Androc. eisdem locis quibus in symb. 30, praeterea ap. Apostol 11. 5a (P. 2. 516.) — Plut. qu. Rom. 72. de Iside 354 F. Numa c. 14. — Jambl. Protr. 21. V. P. 227. — Hippol. ref. 6. 27. — Lucian. v. h. 2. 28.

Commune est omnium superstitionum igni vim quasi animatam tribuere. Apud Indogermanicarum gentium nonnullas ignis vulgo ut numen immortale colebatur, velut apud Indos Persas Prussos. (Schrader. Reall. 367. 674). Contra in Hestiae Vestaeque cultu huius opinionis vestigia raro inveniuntur. Tamen superstitionis antiquissimae scintillae sub cinere gliscere interdum sentimus, ut in hoc symbolo. Interdictum enim ignis gladio scrutandi intelligi non potest, nisi igni daemones inesse sumebantur, quorum ira ne illa ratione excitaretur, metuendum erat. Frazerus, Folk-Lore 1 (1890) p. 151 hanc ad superstitionem explicandam haec adfert, quibus statim elucet sensus interdicti: „Tartari cavent ne cultrum igni inferant timentes ne hac ratione caput ignis abscidatur. (Quae narratio sumpta est ex Johannis de Plancarpio vetusto itinerario, cf. Liebr. ad Gerv. de Tilb. p. 102). Item et Kamtschadalés nefas iudicant cultrum infigere lignis ardentibus et Indiani Americae septentrionalis. Quibus cum rebus coniungendum est, quod Eijub Abela, Zschr. d. deutsch. Palästina-Vereins 7. p. 90 refert Syrios huius aetatis periculosum babere quemquam ignem cultro fodere.

34) *τὰ στρώματα ἀεὶ συνδεδεμένα ἔχειν* Androc. ap. Diog. L. 8. 17. — Jambl Protr. 21 (*στρωμάτων ἐξαναστὰς συνέλισσε αὐτὰ καὶ τὸν τύπον συνστόρνυε.* — Plut. qu. conv. 8 7. Clem. strom. 5. 5. 27. — Hippol. Ref. 6. 27 (*τὸν στρωματόδεσμον δῆσον*).

35) *χύτρας ἴχνος συγχεῖν ἐν τῇι τέφραι* Androc. ap. Diog. L. 8. 17. — Jambl. Protr. 21. — Plut. qu. conv. 8. 7. Clem. strom. 5. 5. 27.

Haec duo symbola eo consentiunt. quod utroque vestigia relicta exstingui iubentur. Cum, quod maxime dolendum est, apud veteres distinctius de hac re nihil exstet, omni interpretandi facultate destituti essemus, nisi ad similes opiniones aliarum gentium confugere possemus. Utrique praecepto ea opinio subest daemonibus malis vestigium vel hominis vel supellectilis satis esse ad ipsum hominem vel instrumentum opprimendum. Tali modo vestigium inprimis pedis pro toto homine substitui posse permultis superstitionibus et Germanorum (W. 186. 643. 392. 396) et populorum incultorum Africae et Australiae cognosci potest, quas collegit Frazerus opusculo identidem citato: Some popular superstitions of the ancients, Folk-Lore 1. (1890) p. 157 sq. Qui vir doctissimus ibidem his duobus symbolis explicandis operam dedit et qua est peritia admirabili morum inprimis gentium ferarum effecit, ut de sensu eorum dubitari

non iam possit. Ipsa viri docti verba afferam p. 159: The aborigines of Australia cause magical substances to enter the body of an enemy by burying them either in his footprints or in the mark made on the ground by his reclining body or they beat the place where the man sat — the place must be still warm — with a pointed stick, which is then believed to enter the victims body and kill him. — To secure the good behaviour of an ally with whom they have just had a conference, the Basutos will cut and proserve the grass upon which the ally sat during the interview. — ib. p. 160: Pythagoras probably feared that the persons who ate out of the pot might be magically injured by any enemy who should tamper with the impression left on the ashes by the pot. The obligation of this Pythagorean precept is aknowledged at the other side of the world by the natives of Cambodia. They say that when you lift a pot from the fire you should to be careful not to set it down on the ashes, if you can help it, but if it is necessary to do so, you should at least be careful in lifting it from the ashes to oblitterate the impression, which it has made. The reason they give is that to act otherwise would lead to poverty and want But this is clearly an afterthough devised to explain a rule of which the original meaning was forgotten". cf. etiam Kohler. Arch. f. Religionsw. 4 (1901) 347 de Papuanis. Graecos profecto opinatos esse cortinam tali modo affligi posse docemur Hesiodi versibus op. 748 sq.:

Μηδ' ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιρρέκτων ἀνελόντα
ἔσθειν μηδὲ λόεσθαι, ἐπεὶ καὶ τοῖς ἔπι ποίνη,

quorum hic est sensus: *ταῖς χύτραις* utendum non est nisi antea sacris per ea factis contra vim daemonum munitae sunt Nam sine dubio Goettlingus (ad h. l) errat, cum *ἀνεπιξέστων* pro *ἀνεπιρρέκτων* scribit et *χυτροπόδας* pro cortinae pedibus accipit totumque praeceptum eodem spectare quo symb. 35 censet, cf. Hermann, op. 6. 1. 249. Cortinas maxime a daemonibus defendendas esse putatas demonstrant figurae amuletorum loco in illis exsculptae cf. Pauly-Wiss. 1. 2. p. 1987.

Praecepta symbolo 34 simillima manifesteque eisdem e cogitationibus orta praebent Germani. W. 419: „Lectulus ante dormiendi tempus non detegendus est aut daemon se imponit". W. 586: „Lecti liberorum ne detegantur, etiam si infans non inest". cf. Veckenstedt, Wend. Sag. et. c. 445. 2.

36) *δαιδίων θᾶκον μὴ ὀμόργνυσθαι* Androc. ap. Diog. L. 8. 17. — Jambl. Protr. 21.

Cum faces antiquorum saepe ex ramulis taedarum, quorum plures per fasces colligari solebant, vel ex sarmentis pice illitis vel ex plantarum libris, ut papyri vel ex funiculis contortis oleoque perfusis fierent (cf. Baumeister, Denkm. 1. 521), fieri

potuit, ut pro scopis ad mensas et sellas deverrendas adhiberentur.

Iam ad symbolum interpretandum reminiscamur facis usum propter vim purgatoriam igni attributam saepissime in inferorum et animarum cultu fieri, cf. Diels, sib. Bl. 47 sq. Quod si quis respexerit facile symboli sensum enucleabit. Fax enim cum esset necessaria ad sacra inferis facienda, tamquam inferorum esse putabatur, ita ut in eam vis sacra illorum transmigrasse videretur. Itaque homines superstitiosi cavebant, ne face subsellia domestica tangerent eoque illis vim nocentem inicerent, cum timerent, ne insidendo in daemonum potestatem venirent. Quod artissime congruit cum superstitione illa Germanorum vetante scopis, quae, ut cognovimus, et ipsae inter res magicas numerabantur, mensas ac scamna deverri. (cf. p. 39).

37) *ὀξεῖαν μάχαιραν ἀποστρέφειν.* Androc. ap. Diog. L 8. 17. — Protr. 21 (*ὀξίδα**) *ἀποστρέφειν ἀπὸ σαυτοῦ, πρὸς ὃν γὰρ τύχῃ ἐπεστραμμένη, ἐπίληπτος ἔσται*).

Quod Jamblichus addit eum, in quem acies versa sit, comitialem fieri, prorsus convenit consuetudini superstitionis qua saepissime argumenta quaedam ineptissima et rationes extrinsecus arreptae agglutinantur (cf. p. 43). Nam plerumque aut causae incertissimae afferuntur, dicitur hoc vel illud „calamitati“ aut „infausti ominis“ aut „ad multa usui“ esse (cf. exempli gratia Ael. n. a. 15. 2. p. 368 11) aut confirmatur homines quovis praecepto neglecto in morbos quosdam incidere. quae re vera ad originem ipsam nihil faciunt. Quod tum maxime fieri consentaneum est, cum homines superstitiosi, ut plerumque fit, de vera causa praeceptorum incerti sunt, quod hic quoque accidit. Similes enim aliorum populorum mores — apud antiquos plura vestigia nulla inveni — aperte docent aciem cultri ideo semper infra versam haberi, quod daemones nocentes acie supra versa laesi homines incautos ulcisci putabantur. Apud multas enim gentes et cultas et incultas in quibusdam vitae discriminibus, ut homine mortuo vel muliere parturiente homines omnino acutis armis et instrumentis uti vetantur, ne ira daemonum, qui tum temporis maxime vagari putantur, ea ratione incitaretur, cf. Fr. 1. 350 sq. Quae opinio rudissima paulatim Christianae praecipue ecclesiae auctoritate immutatur atque mitigatur. (quamquam hodie quoque vestigia eius exstant. v. W 460: Culter acie supra versa in mensa non ponendus est quia diabolus inequitatur). Plerumque animae mortuorum in locos daemonum succedunt, horum metus illarum misericordiae concedit. Sicut Rumaeni Transsilvanici, dum lectus funebris in

*) ὀξίς secundum lexicographos idem est atque acetabulum. Sed ex ipsius Jamblichi interpretatione evenit ὀξίδα hic nihil aliud significare quam ὀξεῖαν μάχαιραν Diogenis nisi notitia paulo amplificata. cf. Kiesslingium ad h. l. Protreptici.

domo positus est cultrorum acies caelum versus spectare nolunt, ne anima mortui illa inequitare cogatur (Fr. l. c.) et Austriaci putant animulas („die armen Seelen") nudis pedibus in acie cultri cogi incedere. Tanta est vis huius superstitionis, ut Oldonii praescribant, si forte eodem tempore culter sursum versus iaceat et puer in ignem incidat, prius cultrum invertendum quam illum servandum esse. Eadem est superstitio origine etiam magis oblitterata quod interdum hac ratione Dei et angelorum facies vel oculos lacerari dicitur, cf. W. 460. Haberland, Zschr. f. Völkerpsychol. 18. 274 sq. Leges Talmudis idem vetare docet Buxtorf, Erneuerte Jüdische Synagoge. (1729) p. 290.

38) *μὴ ἐσθίειν ἀπὸ δίφρου.* Plut qu. Rom. 112. Hippol. Ref. 6. 27: — Plut. de Is. 354 F. (*μὴ ἐσθίειν ἐπὶ δίφρου**).

Inter opiniones populares antiquorum alia vestigia huius praecepti non invenimus neque, quo saepe nobis licuit, ad superstitiones Germanorum confugere possumus. At Indi antiqui Manu leges sequentes cavebant, ne in edendo cibum in genibus vel in sella ponerent. Omnino omnis cibus, qui in sella positus erat, impurus habebatur eoque vesci nefas erat, cf. Haberland, Zschr. f. Völkerps. 18. 260. Unde causa huius opinionis derivanda sit nescio: fortasse eo, quod sellae partibus pudendis corporis humani tanguntur, cibi ibi positi impuri habebantur.

G. De variis rebus vitae cotidianae.

39) *τὸν ἄρτον μὴ καταγνύναι* Aristot. ap. Jambl. V P. 86. Diog. L. 8. 35. *ἀπὸ ὁλοκλήρου ἄρτου μὴ ἐσθίειν* Anaximander Milesius ap. Suid. s. v. *Ἀναξίμανδρος.* cf. Hippol. Ref. 6. 27 (*ἀπὸ ὅλου ἄρτου μὴ ἀπόδακνε*).

Quae huic symbolo adicitur argumentatio: *ὅτι πρὸς τὴν ἐν ἅιδου κρίσιν οὐ συμφέρει*, eam Aristoteles apud Jamblichum l. c. solam recto pede stare censet, cum ceteras explicationes, quas enumerat, appellet *εἰκοτολογίας*, quae *οὐκ εἰσὶ Πυθαγορικαὶ ἀλλ' ἐνίων ἔξωθεν ἐπισοφιζομένων καὶ πειρωμένων προσάπτειν εἰκότα λόγον.* Atque demonstrat hoc incertum et occultum *ὅτι πρὸς τὴν ἐν ἅιδου κρίσιν οὐ συμφέρει* aperte hoc symbolum ex religione populi ortum

*) XV symbolorum, quae ex Plutarchi scriptis collegi, quattuor pluribus locis repetuntur (s. 31, 32, 33, 38) perexigua tantum verborum discrepantia (in symb. 33 μαχαίραι Numa c. 14. qu. Rom. 72 μαχαίρηι ἐν οἰκίαι de Is. 354 F.), ut facile iudicare possis etiam hoc loco ἀπὸ δίφρου esse scribendum, quod Hippolyti testimonio confirmatur, praesertim cum Plut. omnia symbola Androcydi debere videatur. Tamen forma ἐπὶ δ.μ.ε. sensu non caret, si δίφρος pro latrina accipitur (Poll. 10. 45, Moeris p. 230 K. Arist. 1 p. 493 Df. Hesych. s. v.) et superstitionem Germanorum afferri licet, quae vetat tetris illis locis edere (W. 459).

esse, quam talibus additamentis ab origine symbolorum alienis gaudere supra diximus. Ipse argumentum eadem obscuritate audivi ex rustico quodam, qui dixit homini mortuo ungues esse resecandos, „denn das ist gut für das jüngste Gericht".

In symbolo explicando maxime verbum *καταγνύναι* premendum est, non ut antiqui fecerunt interpretes *ἄρτον* verbum, hoc enim esset vetare pane vesci, de quo certe nemo umquam cogitavit. Jam cum ratio contraria pani diffringendo sit ea ut cultro secetur, hoc symbolo idem vetatur ac si panis cultro secari iubeatur. Huius autem cautionis causam facile perspiciemus, si meminerimus ab antiquis a metallis inprimis ferro et aeri vim quandam daemones avertendi tributam esse, (cf. supra p. 29) v. Schol. ad. Od. λ 48: *κοινή τις παρὰ ἀνθρώποις ἔστιν ὑπόληψις ὅτι νεκροὶ καὶ δαίμονες σίδηρον φοβοῦνται.* Schol. ad Theocr. Id. 2. 36: *τὸν γὰρ χαλκὸν ἐπῆγον ἐν ταῖς ἐκλείψεσι τῆς σελήνης καὶ ἐν τοῖς κατοιχομένοις, ἐπειδὴ ἐνομίζετο καθαρὸς εἶναι καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων. διόπερ πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν καὶ ἀποκάθαρσιν αὐτῶι ἐχρῶντο ὥς φησι Ἀπολλόδωρος ἐν τῶι περὶ θεῶν. κτλ.* (cf. Heron. Pneum. 2. 32 1. p. 298 Schm.) Lucian. Philops 15: *ἐκεῖνα μὲν γὰρ* (sc. *τὰ φάσματα*) *ἢν ψόφον ἀκούσῃ χαλκοῦ ἢ σιδήρου πέφευγε.* cf. etiam Geop. 14. 7. 11. Itaque stricto gladio Ulixes animarum catervam propellit (λ 48. 82. 95. 231). Eandem vim ferro Romani attribuebant, apud quos triumphantes, qui praecipue a daemonibus vexari putabantur, (Macr. 1. 6. 9.) et sponsae anulo ferreo utebantur. Ceterum toto orbe ferrum et aes inter res apotropaeas habentur, cf. Liebrecht, Gerv. dei Tilb. 99. sq. Fr. 1. 248. W. 119 414. 444. 693. Saiaktzis, Zschr. d. V. f. Volksk. 4 (1894) 143.

Symbolum igitur eum in sensum interpretandum esse mihi videtur, ut homines panem, cum timerent, ne a daemonibus effascinaretur, metallo apotropaeo tangentes tueri conati sint. Prorsus eodem more utuntur Germani, v. W. 457: „Panis nisi incisus in mensa ne ponatur. Panis cum inciditur cultro cruce signandus est", cf. Liebr. l. c. 100. 2. Quae apud Suidam Anaximandri Milesii sub nomine et ab Hippolyto traditur forma symboli, docet nos recte interpretatos esse. Nam *ὁλόκληρος ἄρτος*, quia nondum cultro ab impetu daemonum tutus redditus est, in potestate eorum est. Itaque periculosum putabatur frusta ab eo demordere, priusquam fascinatio, qua fortasse praeditus erat, metalli vi soluta esset.

40) ....*περὶ τῶν ἁλῶν ὅτι δεῖ παρατίθεσθαι.* Aristot. ap. Diog. L 8. 35.

Sal a Graecis vulgo pro amiciticae signo accipiebatur, cf. Eustath. ad. Iliad. A 449. Qua ex opinione nonnulla proverbia orta sunt velut *ἅλας καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν* (Archil. fr. 86 Anth. lyr. ed. Hiller. Zenob. Cent. 1. 62 (P. 1. 24). Diog.

2. 11 (P. 1. 197) Macar. 1. 73 (P. 2. 141). Hunc in sensum Anonymus quoque in Bekk. Anecd. 1. 384 Homericum illud *πάσσε θ' ἁλὸς θείοιο* (Θ 214) interpretatur: *μυστικῶς οὕτω προσαγορεύεται. σπονδαὶ γὰρ καὶ ὁμεστίων καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων καὶ τραπέζης κοινωνία τούτωι χαρακτηρίζονται.* Sed proverbio „*ἅλα καὶ κύαμον*" deducimur ad aliam vim salis, quod Paroemiographi sic interpretantur: *ἐπί τῶν εἰδέναι μέν τι προσποιουμένων οὐκ εἰδότων δέ. ἐπεὶ οἱ μάντεις εἰώθασι τιθέναι τὸν ἅλα καὶ κύαμον πρὸ τῶν μαντευομένων. ὅθεν καὶ* (*ἐπὶ* add. Leutsch) *τοῖς τῶν ἀπορρήτων κοινωνοῦσι κύαμον ἐτίθουν* vel *ὅθεν καὶ τοὺς ἀπορρήτων κοινωνοῦντας τοὺς περὶ ἅλα καὶ κύαμον ἔλεγον* (Par. 1. 8. 1. 188. 2. 275).

Alicuius momenti est, quod hic sal una cum fabis nominatur, quas in omni re magica et Graecorum et Romanorum multum valuisse supra cognovimus. Quid sit sali cum fabis iam lucidius fit versibus Menandri frg. 530 Kock v. 21—23:

περιμαξάτωσάν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλωι
καὶ περιθειωσάτωσαν· ἀπὸ κρουνῶν τριῶν
ὕδατι περίρραν' ἐμβαλὼν ἅλας, φακούς.

Obiurgat poeta comicus caerimonias magicas, quibus homines superstitiosi vetulis veneficis ministrantibus a funere et fascinatione se purgabant, velut somnio diro viso iubebantur: *τὴν περιμάκτριαν κάλει γραῖν καὶ βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν.* (Plut. de sup. c. 3). Jam vero cum legerimus Romanos mortuis pisa et salem apposuisse et domum post funus sale lustravisse (Plut. Crass. c. 19. 5. Ov. fast. 2. 24. Censor. de die nat. 22. 15) non dubitabimus, quin omnibus his locis de vi daemonum propulsanda agatur. Neque de sensu symboli aberrabimus interpretati homines superstitiosos ad se suaque a daemonibus tuenda semper salem in mensa positum habuisse. Prorsus idem est salis usus apud Graecos recentiores, qui bullam allio et sale completam secum portant, ut se defendant a fascinatione, quam *φθιαρμὸν* appellant (Bybilakis, Neugriech. Leben p. 10) atque larvae quaedam terribiles, *Βρουκόλακες* nominatae, vampyris nostris similes aquam salsam transire non posse creduntur (B. Schmidt, Volksl. d. Neugr. 168). Neque non apud Francogallos et Germanos sal eo consilio adhibetur, ut daemones avertantur, cf. Liebrecht ad Gerv. de Tilb. 221. 31. Sauvé, Folkl. des Hautes Vosges. 173. W. 118. Eodem pertinet, quod aquae marinae vis averruncalis apud Graecos maxima esse putabatur, cf. Gruppe, Griech. Mythol. 889. 1.

41) *οὐ δεῖ τὰς λεωφόρους βαδίζειν ὁδούς.* Aristot. ap. Jambl V. P. 83. Ael. v. h. 4. 17. — Androc. ap. Demetr. Byz. l. c. Porph. V. P. 42. Diog. L. 8. 17. — Jambl. Protr. 21. V. P. 105. — Clem. strom. 5. 5. 31.

49) *ἐν ὁδῶι μὴ σχίζε.* Jambl. Protr. 21. — Olympiod. in Platonis Phaed. p. 8. Finckh. — Apostolius, Cent. 7. 24a (P. 2. 401).

Sepulcra Graecorum magnam in partem secundum vias publicas posita fuisse inter omnes constat (cf. Curtius, Ges. Abh. 1. 74 sq.). Itaque facile intelligimus animis hominum agrestium per vias a mortuis quasi circumsessas terrorem inici potuisse, ita ut praeceptum *τὰς λεωφόρους μὴ βάδιζε* sequentes semitas affectare mallent, ubi tuti erant ab animis defunctorum, quas in viis publicis iuxta sepulcra sua palari putabant Itaque Jambl. V. P. 105 Protr. 21 paulo uberius iubet *τὰς λεωφόρους ὁδοὺς ἐκκλίνων διὰ τῶν ἀτραπῶν βάδιζε.* Profecto vias publicas a mortuis infestari putatas esse docet schol. in Aristoph. Ran. 113: *ἐκτροπὰς δὲ ἐκνεύσεις τῶν ὁδῶν ὅπου τις ἐκτραπῆναι δύναται (διὰ τὸ ἐκτρέπεσθαι τῆς ὁδοῦ ὅταν ταραχή τις γένηται τῶν νεκρῶν.* Eadem de causa Hecatae, duci turbae umbrarum noctivagarum, id est animarum (*ψυχαῖς νεκύων μέτα βακχεύουσαν* Hymn. Orph. 1. 3. p. 58 Abel. Rohde Ps. 2, 411.) cognomen *ἐνοδία* est, cf. Preller-Robert, Gr. Myth. 1. 322 324. Hymn. mag. in Hec. v. 10 (p. 289 Abel) item alludit ad illam vim deae:

δεῦρ' Ἑκάτη τριοδῖτι πυρίπνοε, φάσματ' ἄγουσα,
ἥ τ' ἔλαχες δεινὰς μὲν ὁδοὺς χαλεπάς τ' ἐπιπομπάς.

Cum Artemidori Daldiensis somniorum explicationes magna ex parte *αὐτοσχεδιάσματα* sint, tamen, ut pluribus iam locis cognovimus, non desunt, quibus auctore ipso fortasse inscio superstitiones antiquissimae subsint. Quarum una haec est (1.81.p.82.22.H): *ἐν μνήμασι δὲ καὶ τάφοις καὶ ἐν ὁδῶι καθεύδειν τοῖς μὲν νοσοῦσιν θάνατον προαγορεύει, τοῖς δὲ ἐρρωμένοις ἀπραξίαν, ἄπρακτοι γὰρ αἱ τοιαῦται διατριβαὶ καὶ τὰ χωρία.*

Ut in Germanorum superstitione saepe actiones magicae, nisi in cimeterio fiunt, vel medicamenta, nisi inde petuntur irrita esse existimantur, ita apud Graecos magna est vis magica viarum, praecipue orbitarum. Sic medicamenta efficaciora sunt, cum inter duas orbitas inveniuntur vel parantur. (Plin. 29. 113. 30 137.) Si licet alienarum gentium superstitiones afferri, haec opinio fortasse fabella quadam Wendorum illustratur, qua narratur rusticus in itinere larvis territus, ne quid detrimenti caperet, diligenter media in via inter duas orbitas se tenuisse. Sic enim se nulla re offendi posse audiverat (Veckenstedt, Wend. Sagen p. 323). Apparet igitur orbitas a daemonibus transiri non posse. Si, quod mihi quidem persuasi, haec opinio in Graecas quoque superstitiones quadrat, facile etiam alias quasdam intelligere poterimus. Velut quod Plin. 8. 227. 29. 89. Ael. n. a. 2. 37 referunt mustelam „torpore quodam naturae“ orbitas non transire, illa opinione illustratur, mustela enim et in antiquorum et in multorum totius orbis populorum superstitionibus animal magicum daemonibusque obnoxium est. (cf. Fr. Folk-Lore 1. 156). Item nunc perspicimus

et qua de causa medicamenta inter orbitas parata efficaciora sint et cur, quod Plin. et Ael. l. c. adiciunt, arena ex orbita sumpta morsibus mustelarum medeatur.

Quodsi intelleximus, cur hominibus superstitiosis viae publicae vitandae esse visae sint, haud difficile erit etiam alterius symboli significationem invenire. Timebant enim homines, ne strepitu ac tremore, qui fit lignis scindendis, larvarum ira incitaretur, quare etiam Germanorum superstitio ligna in limine scindi vetat, quia sub eo anguis quidam, qui domum tueri putatur, „Hausotter“ appellatus domicilium habeat (W. 57).

43) *ἀποδημοῦντα ἐπὶ τοῖς ὅροις μὴ ἐπιστρέφεσθαι.* Androc. ap. Demetr. Byr. l. c. Pspl. l. c. Diag. L. 8 17. — Plut. Numa c. 14. — Jambl. Protr. 21. — Hippol. Ref. 6. 26 — Procl. in Platonis Phaed. p 8. 6 Finckh. (*ἀπιόντα εἰς ἱερὸν μὴ ἐπιστρ*).

Quod apud Jamblichum et Hippolytum adiectum est *Ἐρινύες γὰρ μετέρχονται* maximum est adiumentum ad hoc symbolum explicandum, quamquam hoc interdictum tam saepe plurimorum populorum in superstitionibus invenimus, ut etiam his verbis non additis de origine symboli dubitare non possemus. Nullus enim fere populus est, qui hoc interdictum ignoret, cf. multa testimonia scriptorum quae contulit Fr. Folk-Lore 1, p. 155, quibus multa addi possunt. (velut Zschr. d. deutschen Pal.-Vereins 7. 97. Folk-Lore 1904 p. 206.) Quae ex veteribus scriptoribus huc pertinent a Rhodio Ps. 2. 85 collecta sunt, qui vir doctissimus illo loco de hoc quoque symbolo agit, cuius sensum rectissime his verbis interpretatur: Die Unterweltsgeister (umwandelnd auf Erden, wie am Fünften, nach Hesiod op. 803) folgen dem Abreisenden, kehrte er sich um, so würde er sie erblicken. Profecto et in hoc symbolo et in Hesiodeo illo Furiae nondum illa numina scelerum ulciscentia sunt, quorum munere postea funguntur, sed daemones inferni sanguinis humani avidi hominesque semper persequentes, Si quis respiciens has diras deas conspexerit, in maximum incidat periculum necesse est. Velut in fabella quadam Graecorum recentiorum (B. Schmidt, Gr. Märchen etc. p. 106) huius superstitionis vestigium exstat: „In hanc aulam tibi incedendum est; sed strepitum humanarumque vocum clamorem audies. Sed tu ne illis confidas neve retrospicias, illi enim daemones (*δαιμόνια*) sunt, et cum oculos retorseris in lapidem commutaberis. cf. Judaeorum narrationem de muliere Lot, quae Sodom et Gomorrha urbes odio Dei incensas respiciens in salis columnam immutatur, (Genes. 19. 17. 26.), et Crusium Rh. Mus. 39. 165.

Quod additur *ἐπὶ τοῖς ὅροις* non sine causa fit. Fines enim et vici et praedii ita ut limen domus in superstitione multum valent, his locis potestas daemonum praeter cetera maxima esse putatur, cf. Colum. 10. 345. Plin. 28. 48. Huius opinionis

causa fortasse ea est, quod temporibus antiquissimis non raro mortui in ipsis finibus sepulti sunt, vide Paus. 5. 8. 3: *Καὶ Ἠλεῖος Κόροιβος ἐνίκα. εἰκὼν μὲν δὴ οὐκ ἔστιν ἐν Ὀλυμπίαι τοῦ Κοροίβου, τάφος δὲ ἐπὶ τοῖς πέρασι τῆς Ἠλείας.* ib. 8. 26. 3. Fines igitur non aliter ac viae (v. supra) inter ea loca numerari poterant, quibus maxime animae mortuorum vagarentur.

In Germanorum quoque superstitione hoc interdictum saepissime invenimus. Cum longum sit omnes omnium de hac re locos congerere et enumerare (cf. indicem Wuttkii s. v. „umkehren") unum praeceptum huic simillimum afferam, W. 631: „Qui foras exit, ne respiciat, aut calamitate afflictus brevi revertetur". Quamquam hoc loco finium non fit mentio, tamen multis aliis Germanorum superstitionibus apparet apud nostros quoque fines pro locis daemonibus gratissimis haberi, W. 384. 608. 747.

44. 45) *οὐδὲ εἰς περιρραντήριον ἐμβάπτειν οὐδὲ ἐν βαλανείωι λούεσθαι.* Aristot. ap. Jambl. V. P. 83 (64), Aelian. v. h. 4. 17.

Quae his duobus symbolis subicitur argumentatio *ἄδηλον γὰρ εἰ καθαρεύουσιν οἱ κοινωνοῦντες* (Jambl. V. P. 83), non multum a vera huius superstitionis origine abest. Nam Graecos, sic credebant, quod constat, aqua multos hominum morbos ac dolores et corporis et animi ablui posse, timere quoque necesse fuit, ne qua ratione aquam, quae vel in cortinis vel in balineis inesset, tangentes illis malis per contagionem quandam inficerentur. Qua fortasse de causa et homines aegroti balneis abstinere iubebantur (Hippocr. *περὶ ἱρῆς νούσου* c. 2. Plin. 28. 53) et ei, qui ad res magicas faciendas se praeparabant, velut narratur Helenus vates Troianus balneis abstinuisse, priusquam magicis incantationibus *σιδερίτην* suum lapidem animatum redderet, cf. Orph. Lith. 366 sq. (Abel):

ἤματα μὲν τρί' ἐφ' ἑπτὰ βίην Ἑλένοιο πέπυσμαι
θηλυτέρης τε λέχος φεύγειν καὶ κοινὰ λοετρά,

nimirum quod putabat se re utraque pollui et ad res magicas peragendas debiliorum fieri. Quam nimis Pythagoristae saeculorum IV et III hoc praeceptum observaverint, docent comicorum versus *τὴν ἀλουσίαν* illorum illudentium (frg. com. ed. Kock. 2. 370. 280). Item apud gentes Papuanas, qui res magicas facturus est, balneis abstinet, cf. Kohler, Arch. f. Religionsw. 1901. p. 347. Similem causam subesse suspicor superstitioni cuidam Germanorum medii aevi, qui „feria tertia carnisbrevii non intrabant balneum", cf. Usener, Chr. Festbr. 84. 13.

46) *Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν.* Androc. ap. Pspl. l. c. Diog. L. 8. 17. Mant. prov. 2. 13 (P. 2. 760). — Jambl. Protr. 21. — Plut. de amic. mult. c. 6.

Quamquam primo aspectu facile commovebimur ut sym-

bolum cum antiquis ethice interpretemur (ita Sittl, Gebärden d. Gr. u. Röm. p. 30), dicentes hoc symbolo Pythagoreos vetitos esse temere amicitias inire, tamen verisimillimum mihi esse videtur hoc quoque praeceptum originem ex antiquissimis opinionibus popularibus ducere. Constat enim multis exemplis homines incultos ac rudes advenis miro quodam timore appropinquare eosque apud se excipere maxime vereri nisi certis caerimoniis lustrationibusque peractis, quibus vires nocentes, quibus advenas praeditos esse putant, irritae fiant. Permulta de hac opinione collegit Fr. 1. 298 sq. Eodem pertinet superstitio Romanorum, quam Plin. 28. 39 servavit: „Extranei interventu aut si dormiens spectetur infans a nutrice terna aspui" (sc. credamus rite fieri?), quae apud Germanos quoque invenitur, W. 581. cf. W. 478. 625. 697. Et quamquam, quod quidem ego scio, alia vestigia talis opinionis apud Graecos et Romanos non exstant, tamen non dubito illis exemplis nisus, quin hoc symbolum ita explicandum sit, ut homines superstitiosi caverint, ne advenis dextra temere porrecta periculum fascinationis subirent.

47) *ἀποκαρμάτων σῶν καὶ ἀπονυχισμάτων κατάπτυε.* Jambl Protr. 21.

48) *ἀπονυχίσμασι καὶ κουραῖς μὴ ἐπουρεῖν μηδὲ ἐφίστασθαι.* Androc. ap. Diog. L. 8. 17.

49) *ἐν ἑορτῇ μήτε κείρεσθαι μήτε ὀνυχίζεσθαι.* Jambl. V. P. 154. *παρὰ θυσίαι μὴ ὀνυχίζου.* Protr. 21.

50) *Σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν.* Androc. ap. Pspl. l. c. Mant. prov. 2. 81 (P. 2. 770).

Unguium et crinium resegmina in omnium populorum superstitionibus maxima esse putantur vi neque dubium est, quin apud Graecos quoque et Romanos multum valuerint, quamquam perpauca sunt, quae in scriptis antiquorum hac de re exstant. — Usus resegminum in magia ex eo ortus est, quod homines simplices existimabant illas partes etiam abscisas cum homine ipso tam arte coniunctas manere, ut omnis vis magica quaqua ratione, volut incantationibus, illis iniecta in hominem ipsum transflueret. Itaque sua quisque interesse putabat curare, ut quam maxime impetus eorum, qui illis partibus abuti posse viderentur, sive daemonum sive magorum, irritos redderet. Quare resegmina apud multos occultari uri infodi solent, sic „Unguium Dialis et capilli resegmina subter arborem felicem terra operiuntur" (Gell. N. A. 10. 15. 15). Germani et ea et dentes, qui ceciderunt, diligenter abdunt comburunt, ne anus maleficae (Hexen) eis abutantur. (W. 418. 464. Liebr. z. Volksk. p. 330. 219. Zingerle

§ 177). Eodem more utuntur multae totius orbis gentes ut Fr. 1. 379 sq. et R. Andree, Ethnogr. Parall. N. F. p. 12 sq. demonstrant. Altera ad daemonum vim avertendam ratio est inspuendi. Hoc enim praesertim si ter fit (de numeri ternarii vi religiosa cf. Diels, sib. Bl. 40 sq.) et apud antiquas et his temporibus ut apud Graecos ita apud alias gentes inter amuleta habetur, cf. Plin. 28. 35 sq. Theocr. 6. 35 et quae alia multa testimonia contulerunt de antiquis Jahn, Ber. d. Verh. der Sächs. Ges. d. Wiss. 1855 p. 82 sq., Frank W. Nicolson, the Saliva-superstition in Classical Litterature, Harvard studies 8. 23 sq., de Graecis recentioribus Wachsm. d. alte Grld. im neuen p 33. 62. Praeterea cf. W. 117 sq. Liebr. z. Volksk. 319. 48 328. 132. 337. 164 (ex superstitione Norvegica) 371. 25 (Islandica) Fr. 1. 422 (Australica).

Cum moris resegminum inspuendorum alia vestigia apud antiquos nulla inveniantur, tamen simillima est consuetudo urinae hac ratione a fascinatione tuendae, cuius mentionem facit Plin. 28. 38 (W. 416)*). Contra prorsus consentiunt cum symboli superstitione mores quidam, qui in multis Europae regionibus observantur, cf. Zingerle 176. 580. Mélusine, 1878 col. 79. Monseur, Folklore Wallon p. 91. Shortland, the darker superstitions of Scotland p. 71.

In altero symbolo cur *τὸ ἐφίστασθαι* vetetur, facile eo explanatur, quod quicumque illas res tetigerit in vim daemonum, quorum sunt, incidat necesse est. Difficilius alterum intelligitur, ipsa enim urina sic ut sputum et apud Graecos (Lobeck, Agl. 110b) et apud Germanos (W. 493) inter amuleta est. Tamen cum supra viderimus urinam nonnumquam resegminum in locum succedere, hoc symbolo homines fortasse monentur, ne daemones alliciant eis rebus, quae sic quoque potestati eorum subiectae sunt, insuper urina respergendis.

Cum opiniones de resegminibus unguium et crinium tales fuerint, consentaneum est homines superstitiosos putasse dies festos sacraque deorum profanari ac pollui, si quis ungues vel crines resecaret. Quae superstitio iam apud Hesiodum invenitur op. 742/43:

μηδ' ἀπὸ πεντόζοιο θεῶν ἐν δαιτὶ θαλείῃ
αὖον ἀπὸ χλωροῦ τάμνειν αἴθωνι σιδήρῳ.

cf. quae de Flaminica refert Ovid. fast. 3. 397:

---

*) Quod hic cognovimus urinam quoque inter res daemonibus praecipue obnoxias numerari fit, ut sensum symboli 50: σιτίον ἐς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν perspiciamus: Omnia quae forte in matellam iniecta sunt, sicut cibus pecoris, vi daemonum quasi contagione quadam afficiuntur eisque qui edunt periculum fascinationis afferunt.

**) Luce clarius est περὶ Πυθαγορείων Jamblicho deberi, qui hoc additamento sensum ad videbatur occultum symboli patefacere voluit.

„His (sc. Saliorum sacris) etiam coniunx apicata sancta Dialis
lucibus impexas debet habere comas".

Eadem Vestalibus sacris (Diebus IX — XV Iunii mensis) has religiones sibi esse observandas esse dicit (ib. 6. 227 sq.):

„Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
detulerit flavis in mare Thybris aquis,
non mihi detonsas crines depectere buxo,
non ungues ferro subsecuisse licet".

51) *μὴ λέγειν ἄνευ φωτός*. Aristot. ap. Jambl. V. P. 84. — Protr. 21. V. P. 105 (*περὶ Πυθαγορείων ἄνευ φωτὸς μὴ λάλει**).

Superstitio, quae huic symbolo subest, ex antiquissimis rudissimisque orta est opinionibus, quod colligi potest, quamquam paene nulla alia vestigia apud Graecos exstant. Daemones enim, quos in tenebris nocturnis vagari consensus est gentium, tam facile vel uno verbo incitari possunt, ut periculosum sit eis temporibus et locis, quibus vagari putantur, vocem edere. Sic mos erat nautarum in mari Adriatico, quod propter tempestates crebras infestissimum habebatur, silentium observare, sine dubio, quia metuebant, ne loquendo daemonum marinorum iram incenderent. (v. Jambl. V. P. 257: *κατὰ τὸν ὕστατον καιρὸν παρήγγελλε μὴ βλασφημεῖν, ἀλλ' ὥσπερ ἐν ταῖς ἀναγωγαῖς οἰωνίζεσθαι μετὰ τῆς εὐφημίας ἥνπερ ἐποιοῦντο διωθουμένους τὸν Ἀδρίαν* (Obrechtus pro *τὴν ἀνδρείαν*). Idem daemonum metus subesse videtur mori in epulis Monophagorum qui dicebantur observato. Quod hae epulae ab Aeginetis in honorem Neptuni celebrabantur, Schoemannus Gr. Altert. [4] 2. 537 recte mea quidem sententia censet illos dies memoriae eorum Aeginetarum sacros fuisse, qui Neptuno adverso in mari perissent. His de epulis Plut. qu. Gr. 44 refert: *τῷι Ποσειδῶνι θυσίαν ἄγουσι τοὺς καλουμένους θιάσους ἐν ἧι καθ' αὑτοὺς ἐφ' ἡμέρας ἑκκαίδεκα μετὰ σιωπῆς ἑστιῶνται, δοῦλος δ' οὐ πάρεστιν.* Omnino Graecos cavisse, ne loquentes inferos quasi expergefacerent, luculentissimum est testimonium Hesychii s. v. *κρείττονας· τοὺς ἥρωας οὕτω λέγουσιν. δοκοῦσι δὲ κακωτικοί τινες εἶναι. διὰ τοῦτο καὶ οἱ παριόντες τὰ ἡρῷα σιγὴν ἔχουσιν, μή τι βλαβῶσι.*

Gentes ferae item timore daemonum perculsi cavent, ne vel tenebris factis vel in summis periculis clara voce loquantur. (cf. Folk-Lore 1904. p. 206 de Negris Jamaicae. Waitz, Anthropol. der Naturv. 3. 424 de Negris Africae.)

52) *παρὰ λύχνον μὴ ἐσοπτρίζου*. Jambl. Protr. 21.

Hoc quoque symbolum vestigium est opinionis cuiusdam rudissimae hodie quoque exstantis apud gentes feras, quae putant animam hominis in imagine a speculo vel ab aqua reflexa

*) Luce clarius est περὶ Πυθαγορείων Jamblicho deberi, qui hoc additamento sensum ut videbatur occultum symboli patefacere voluit.

inesse. cf. Fr. 1. 292 sq., qui cum alia tum hoc praebet testimonium: In Sadde Island, Melanesia, there is a pool into which if any one looks he dies; the malignant spirit takes hold upon his life by means of his reflection on the water (cf. etiam v. Negelein, Arch. f. Religionsw. 1902. p. 12 sq.). Periculosum igitur esse creditur in speculum vel in aquam inspicere, cum timendum sit, ne anima, quae in imagine reiecta inest, a daemonibus corripiatur. Apud veteres haec superstitio cum huic symbolo tum fabulis illis subest de Narcisso aut de Eutelida pueris pulcherrimis, qui formam suam in fontibus conspicati et admirati mortem obeunt. (de Eutelida cf. Plut. qu. conv. 5. 7. 4. Anthol. Pal. 7. 170, 11. 76) Eadem superstitione commotus Artemidorus 2. 7 dicit aegrotis infausti ominis esse cum in speculum inspicere sibi videantur et *τὸ ἐν ὕδατι κατοπτρίζεσθαι* mortem aut ipsius aut propinquorum alicuius significare. (Eadem est significatio huiusmodi somnii apud incolas Vosegi montis, cf. Sauvé, Folkl. des Hautes-Vosges 346.) Interdictum speculi intuendi saepissime invenitur in Germanorum quoque superstitione, W. 464. 520. Zingerle 314. 315. 1528. Haberland, Zschr. f. Völkerpsychol. 13 (1882) 324 sq. v. Negelein l. c. 24 sq.

Non sine causa additur *παρὰ λύχνον*. Nam si consuetudines quasdam Graecorum respexerimus, non dubitabimus, quin lucernis incensis daemones allici ab eis quoque creditum sit, quod de Iudaeis constat. (Blau, Altjüd. Zauberwesen p. 56: Mischna docet licere sabbatis timore paganorum latronum daemonum commotum lucernam exstinguere. Pesachim 1126: Qui noctu ante lucernam accensam steterit comitialis fiet, qui iuxta concubuerit liberos comitiales procreabit.) S. Chrysostomus enim de vi consuetudinis agens (Hom. in act. ap. 10. 5. 9. p. 91 Mg.) *πάλιν* inquit *λύχνου ἁφθέντος πολλάκις τῆς διανοίας ἕτερόν τι σκεπτομένης ἡ χεὶρ τὴν σφραγῖδα ποιεῖ.* Quibus verbis iure colligere nobis licet antiquos credidisse lucerna accensa daemones advolantes propellendos esse, quem ad finem Christiani crucis signo utebantur. Qua de causa non raro signa apotropaea in lucernis collocata inveniuntur, cf. Sittl, Geb. 128. 2. Dressel, Annali 1880, tav. O. Q. 45. Mon. d. Inst. 1. 22. 11.

Idem interdictum et apud Britannos (cf. Haberland l. c. 341) et apud Germanos (W. 773) exstat.

53) *πρὸς ἥλιον τετραμμένον μὴ ὀμιχεῖν.* Androc. ap. Diog. L. 8. 17. — Jambl. Protr. 21.

Iam apud Hesiodum op. 727 sq. hoc praeceptum invenimus:

μηδ' ἀντ' ἠελίου τετραμμένος ὀρθὸς ὀμιχεῖν·
αὐτὰρ ἐπεί κε δύῃ, μεμνημένος, ἔς τ' ἀνιόντα,
μήτ' ἐν ὁδῶι μήτ' ἐκτὸς ὁδοῦ προβάδην οὐρήσῃς

μηδ' ἀπογυμνωθείς. μακάρων τοι νύκτες ἔασιν.
ἑζόμενος δ' ὅ γε θεῖος ἀνήρ, πεπνυμένα εἰδώς,
ἢ ὅ γε πρὸς τοῖχον πελάσας εὐερκέος αὐλῆς.

cf. Plin. 28. 69.

Hoc praeceptum unum est eorum, quae omnia ex veneratione lucis atque solis orta sunt. Simplex ipsa cogitatio lucem solis purissimam neque excrementorum neque pudendorum hominis aspectu pollui debere variis superstitionibus causam oriendi praebuit, cf quae exempla attulit Usener, Götternamen p. 179. Neque haec religio apud solos Graecos et Romanos valuit, sed etiam Iudaei antiqui simili ratione excrementa deum celabant. (Deuteron. 23. 13 sq.) Eundem morem observabant Essaei (Joseph. bell. iud. 2. 8. 9), qui hac in re utrum praeceptum illud vetustum Deuteronomii an consuetudines Neopythagoreorum secuti sint ambigitur. (Zellerus, Ph. d. Gr. ³. 3. 2. 325 et hanc et multas alias Essaeorum religiones Neopythagoreis deberi contendit.) Haec superstitio quam antiqua sit docet versus Atharvavedae a Schroedero, Pythagoras und die Inder p. 39, relatus, qui item vetat in solem conversum mingere.

54) *ἀνέμων πνεόντων τὴν ἠχὼ*) προσκύνει.* Jambl. Protr. 21.

Saepe in religione Graecorum opinio exstat in strepitu ventorum numen quoddam latere, cui honores sint habendi. Veluti Athenienses Tritopatoribus supplicabant, ut liberos sibi darent, quos daemones ventorum esse ex lexicographis antiquis satis constat. cf. Rohde, Ps. 1. 248, qui vir doctus ib. p. 247 recte adnotat *τριτοπάτορας* idem valere ac *προπάτορας*, ita ut illi ventorum daemones ex animis mortuorum prodisse sint iudicandi. Quae vis et natura luculentius comprobatur genere hostiarum, quae ventis immolabantur, prorsus convenientium cum eis, quae inferis praeberi solebant (cf. Stengel, Herm. 16. 346. Frazer ad Paus. 2. 12. 1.). Velut quis non reminiscitur Bacchi in Aristoph. Ran. 847, cum Aeschyli ira tamquam tempestas exortura est, vociferantis:

ἄρν' ἄρνα μέλανα παῖδες ἐξενέγκατε,
τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

v. supra p. 22.

Nigrae autem hostiae immolabantur inferis, cf. Il. *Γ* 103. Od. *κ* 527. Eur. El. 513. Diels, sib. Bl. 71). Idem mos sacra ventis faciendi honorumque tribuendorum nostra quoque memoria apud Graecos invenitur, ut refert Polites, *μελέτη* p. 110: *ὅταν σφοδρὸς ἄνεμος πνέῃ ὁ λαὸς πιστεύει ὅτι διαβαίνουσι Νεραΐδες· ἕκαστος δὲ κύπτει ἐκφωνῶν „μέλι καὶ γάλα εἰς τὸν δρόμον σας", ὅπως μὴ ἀνάρπαστον αὐτὸν ποιήσωσιν* (cf. Od. *υ* 63. 66. 77).

*) Cum strepitus venti fiat non sono repercusso sed ipsa aeris commoti vi, consentaneum est τὴν ἠχὼ hoc loco idem significare ac τὸ ἦχος, ut saepius invenitur (cf. Stephani Thesaurum s. h. v.)

Consuetudinem huius simillimam sequuntur Germani, quorum nonnulli hodie quoque ventis sacra faciunt, v. W. 430: „Bei heftigem Sturm wird der Wind „gefüttert“, indem man ihm einen Löffel oder eine Handvoll Mehl entgegenwirft mit den Worten: „Da, Wind, hast du Mehl für dein Kind, aber aufhören musst du“. Oder man wirft drei Hände voll Mehl in den Wind und spricht: „Wind und Windin, hier gebe ich dir das deine, lass du mir das meine“. cf. praeterea Fr. ad Paus. l. c. Atque apud Germanos quoque venti cum animis mortuorum coniunguntur, cf. quae W. 756 de ea opinione collegit, velut: „Cum tempestates saeviunt aliquis laqueo vitae finem fecit vel anima hominis hoc modo mortui discedit. Tempestas nisi corpore sepulto non placatur“.

55) *ὅταν βροντήσῃ τῆς γῆς ἅψασθαι.* Jambl. V. P. 156.

Quid Pythagorei de tonitruis iudicaverint cognosci potest ex Aristot. anal. post. 94b 31 sq.: *Ἆρ' οὖν εἰ εἶναι* (sc. *τὸ αὐτὸ καὶ ἕνεκά τινος καὶ ἐξ ἀνάγκης*) *ἐνδέχεται, καὶ γίνεσθαι ἐνδέχεται; ὥσπερ εἰ βροντᾷ ἀποσβεννυμένου τε τοῦ πυρὸς ἀνάγκη σίζειν καὶ ψοφεῖν**), *καὶ εἰ ὡς οἱ Πυθαγόρειοί φασιν ἀπειλῆς ἕνεκα τοῖς ἐν Ταρτάρῳ ὅπως φοβῶνται.* Hanc opinionem ex eodem fonte quo ipsa symbola, scilicet ex superstitione populari, provenisse forma ipsa indicatur.

Terram tangebant antiqui cum inferos invocabant, sicut deos caelestes extensis manibus, deos marinos brachia mare versus porrigentes adorabant (cf. supra p. 12). Sic inducitur Althaea. Il. I. 568:

„*πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία*
κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν“

et Juno inferos ad ulciscendum provocans Hom. Hymn. Ap. P. 155:

„*χειρὶ καταπρηνεῖ δ' ἔλασε χθόνα καὶ φάτο μῦθον*“. cf. Cic. Tusc. 2. 25: „Tum Cleanthem cum pede terram percussisset versum de Epigonis ferunt dixisse: audisne haec Amphiaraë

*) Errat Riessius, cum (P W. 1. 1. 40) hunc Aristotelis locum pertinere putat ad consuetudinem quandam antiquorum, qui ad fulgura sibilare et lingua crepitare solebant (Plin. 28 25. Schol. ad Arist. Vesp. 626). Ad σίζειν καὶ ψοφεῖν enim non homines pro subiecto accipiendi sunt, sed pronomen quoddam indefinitum (cf. es zischt, es entsteht ein Geräusch). Agitur enim de igne caelesti (non, ut Frazer, Folk-L. 1 p. 48 putat, de igne foci domestici) nubibus incluso, quo exstincto stridor fit, quem homines tonitrum vel βροντὴν nominant. Haec non est opinio Artstotelis sed Empedoclis et Anaxagorae ab ipso Aristotele Meteor. 2. 9. 369 b 12 acriter reprehensa, quam tamen eius temporibus inter τὰ ἔνδοξα habitam esse hoc loco colligere nobis licet. Non raro enim Aristoteles in logicis, quoniam ibi non tam res quam formam spectat, eis quoque exemplis utitur, quae re ipsa a placitis suis abhorreant, dummodo eis, qui legunt vel audiunt, quam notissima formaque ad id, quod demonstrare studet, aptissima sint (cf. anal. poet. 93 b 7 sq.) cf. Diels, Über die exot. Reden des Arist. SBA. 1883. 19. p. 2 sq.

sub terram abdite". Plut. amat. narr. 3. 16: (ὁ Σκέδασος) „ἔθει διὰ μέσης τῆς πόλεως ἀνατείνων πρὸς ἥλιον τὼ χεῖρε, αὖθις δὲ τὴν γῆν τύπτων ἀνεκαλεῖτο τὰς Ἐρινύας", v. plura apud Rohdium, Ps. 1. 119 [2]. Macrob. Sat. 1. 10. 21. Plaut. Most. 468. Wilam. Griech. Trag. 2. 234. Cum mentibus simplicibus maxime conveniat opinio manus eo porrigendas, ubi dei adorandi esse putantur (v. supra p. 12), et deos tamquam manibus inlatis arcessendos esse, non est mirandum consuetudinem terrae tangendae in inferis invocandis etiam alios apud populos inveniri. Sicut Sauvé, Folk-Lore des Hautes Vosges p. 280 de liberis, quorum opiniones saepissime congruunt cum opinionibus hominum ferorum, haec narrat: „A Granges les enfants frappent la terre de toutes leurs forces neuf, treize ou dix-sept fois avec un bâton en disant: „Si ce n'est pas vrai que le diable me rende!" (cf. ib. p. 284) et Fr. Folkl. 1. p. 150; „When the people of Timor, an East India island, feel the shock of an earth-quake they knock on the ground and call out „we are still here", to let the souls of the dead, who are struggling to get up, know, that there is no room for them on the surface of the earth". (De simili terrae motuum explicatione Pythagoreorum cf. Aristot. ap. Ael, v. h. 4. 17.)

Pythagorei igitur, cum superstitionem populi sequentes caelo tonante terram tangebant, credidisse videntur se iram inferorum minis deorum caelestium incitatam placare posse eos rite invocantes. Verisimile est ex eiusmodi opinionibus etiam aliarum gentium consuetudines in tonitruis observatas esse ortas. Sicut Hartknochius (Alt- und Neu-Preussen p. 160) de Prussis antiquis narrat: „Wenn es donnerte, so meinten die Preussen, dass ihr Criwe oder Hoherpriester mit ihren Göttern redete; desswegen fielen sie auff ihr Angesicht zur Erden und beteten den Percunum an". W. 470: Metu tonitruum liberatur qui caelo tonante humi se proicit. Plura de talibus consuetudinibus praebent Mannhardt, Antike Wald- und Feldkulte, 1. 482 sq. Sauvé, l. c. p. 24.

56) *μὴ καθεύδειν ἐν μεσημβρίᾳ.* Olympiod. in Platonis Phaed. p. 9. 21 Finckh.

Symboli origo inde repetenda est, quod Graeci credebant daemones non solum media nocte sed etiam meridie vagari. Imprimis hoc de Hecata eiusque similibus numinibus constabat, cf. Lucian, Philops. 22. Schol. ad Aristoph. Ran. 323, ubi de Empusa narratur: *δοκεῖ δὲ καὶ ταῖς μεσημβρίαις φαντάζεσθαι ὅταν τοῖς κατοιχομένοις ἐναγίζωσιν.* Omnino autem daemonibus hoc diei tempus gratissimum esse alia docent testimonia, sicut Philostr. Her. 1. 3 (p. 289. 20 sq. K) de agro Palleneo, ubi Gigantes multi sepulti sunt: *θαρσεῖ δὲ οὐδὲ ποιμὴν περὶ μεσημβρίαν ἐκεῖνο τὸ χωρίον ὑποπαταγούντων εἰδώλων ἃ ἐν αὐτῷ μαίνεται.*

cf. praeterea Heracl. Pont. ap. Procl. in Remp. 2. 119 ed. Kroll. Plures antiquorum scriptorum de hac opinione sententias collegit Diels. Parmenides. p. 16 [1], B. Schmidt, Volksl. d. Neugr. 1. 94 sq., qui demonstrat (119 sq.) hodie quoque hanc superstitionem Graecis esse, cf. inprimis historiam p. 120 relatam: „Zacynthi quondam rusticus validus tempore meridiano defatigatus itinere iuxta fontem quendam recubuit. Tum Nereides aqua emersae eum fascinaverunt. Somno excitatus primo neque ire neque loqui valuit, tandem aegre domum pervenit, sed manebat insanus ab illo tempore". Neque minus saepe haec superstitio invenitur apud Germanos, v. W. 54: „In der Mittagsstunde ist der Nix am gefährlichsten". 53: „Im badischen Klettgau wandelt die Roggenmuhme in der Mittagsstunde übers Feld und raubt Kinder, um böse an die Stelle zu setzen". 755: „Die Seelen der Verstorbenen gehen nach thüringischem Aberglauben auch Mittags um". (praeterea 46. 64. 138. 584. 783.) Quin etiam G. Lammertus (Volksmedizin und medizin. Abergl. in Bayern p. 92) refert in regionibus quibusdam Bavariae his etiam temporibus meridie dormire periculosum haberi. Etiam saepius quam apud Germanos daemones meridiani in superstitionibus et fabulis Slavicis inveniuntur. cf. Veckenstedt, Wend. Sagen 21. 69., 30. 92 , 49. 47., 56. 13., 14. 105 sq 434. 4, et K. Haberland, Die Mittagsstunde als Geisterstunde. Zschr. f. Völkerpsychol. 13 (1882) p. 3 sq.

Appendix.

Primum ea symbola uberius tractare volui, quae vel omnino per se perspiciuntur vel iam ab antiquis sine dubio recte explicata sunt. Sunt autem non ex priscis superstitionibus orta sed continentur eis

A. Praecepta ad cultum deorum pertinentia.

57) *δεῖ τεκνοποιεῖσθαι, δεῖ γὰρ ἀντικαταλιπεῖν τοὺς θεραπεύσοντας τὸν θεόν.* Aristoteles apud Jambl. V. P. 83. 86. cf. Plat. Leg. 6 p. 773E. Antipater ap. Stob. 67. 25.

58) *περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπιστεῖν μηδὲ περὶ θείων δογμάτων.* Jambl. Protr. 21 V. P. 148. *μηδὲ περὶ θείων δογμάτων* ab Jamblicho ipso in Pythagorae honorem additum esse videtur, quod colligo ex V. P. 148, ubi pergit: *καὶ τὰ θεῖα δὲ δόγματα λέγειν οἷς χρὴ πιστεύειν, ἃ Πυθαγόρας παρέδωκεν,* et ex explicatione Protreptici, quae idem illis verbis subesse hariolatur.

59) *εἰς ἱερὸν οὐ δεῖ ἐκτρέπεσθαι, οὐ γὰρ πάρεργον δεῖ ποιεῖσθαι τὸν θεόν.* Aristot. ap. Jambl. V. P. 85. cf. ibid. 105. Protr. c. 21. Porph. V. P. 38. Plut. Num. c. 14.

60) *εἰς ἱερὸν ἀπιόντα προσκυνῆσαι μηδὲν ἄλλο μεταξὺ βιωτικὸν μήτε λέγειν μήτε πράττειν.* Jambl. Protr. 21.

B. Praecepta moralia.

61) *φορτίον μὴ συγκαθαιρεῖν, οὐ γὰρ δεῖ αἴτιον γενέσθαι τοῦ μὴ πονεῖν, συνανατιθέναι δέ.* Aristot. ap. Jambl. V. P. 84. Androcydes ap. Porpb. V. P. 42, Diog. L. 8. 17. — Plut. qu. conv. 8. 7. Clemens Strom. 1. 1. 10. — Jambl. Protr. 21. — Procl. in Plat. Phaedon. p. 8. 10. Finckh.

62) *γυναῖκα οὐ δεῖ ἀδικεῖν τὴν αὑτοῦ, ἱκέτις γάρ. διὸ καὶ ἀφ' ἑστίας ἀγόμεθα, καὶ ἡ λῆψις διὰ δεξιᾶς.* Aristot. ap. Jambl. V. P. 84. cf 48. — Aristot. Oecon. 1. 4. p. 1344 a 8.

63) *συμβουλεύειν μηδὲν παρὰ τὸ βέλτιστον τῷ συμβουλευομένῳ, ἱερὸν γὰρ συμβουλή.* Aristot. l. c. *ἱερὸν ἡ συμβουλή* erat inter proverbia, v. Zenob. Cent. 4. 40 (Paroem, ed. v. Leutsch-Scbneidew. 1. 96) Diogenian. Vindob. Cent 2. 92 (P. 2. 34). Plures locos, quibus hoc proverbium invenitur, praebent Schneidewinus ad Zenobii, Leutschius ad Diogeniani testimonium.

64) *ἀγαθὸν οἱ πόνοι, αἱ δὲ ἡδοναὶ ἐκ παντὸς τρόπου κακόν. ἐπὶ κολάσει γὰρ ἐλθόντας δεῖ κολασθῆναι.* Aristot. ap. Jambl. V. P. 85.

65) *ὑπομένοντα καὶ ἔχοντα τραύματα ἐν τῶι ἔμπροσθεν τελευτῆσαι ἀγαθόν, ἐναντίως δὲ ἐναντίον.* Aristot. ibid.

66) *γλώττης κράτει.* Jambl. Protr. 21. cf V. P. 68. 71. 187. 193. 225..

67) *ἀσχέτωι γέλωτι μὴ ἔχεσθαι.* Jambl. Protr. c. 21. cf. V P. 71.

68) *εὐορκεῖν δὲ πάντων μάλιστα παραγγέλλει, ἐπεὶ μακρὸν τοὐπίσω, θεοῖς δὲ οὐδὲν μακρὸν εἶναι.* Jambl. V. P. 155.

69) *πολλῶι δὲ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ὅσιον εἶναι λέγει ἢ κτείνειν ἄνθρωπον, ἐν ἅιδου γὰρ κεῖσθαι τὴν κρίσιν.* Jambl. V. P. 155. 179.

Nescio an cum his sententiis moralibus coniungenda sit quam Clem. Strom. 5. 5. 28 3. p. 22 Df. una cum aliis symbolis affert: 70) *ἐπὶ γῆς μὴ πλεῖν.* Inepte Clemens interpretatur: *δηλοῖ δὲ τὰ τέλη καὶ τὰ ὅμοια τῶν μισθωμάτων ταραχώδη καὶ ἄστατα ὄντα παραιτεῖσθαι δεῖν.* Similis est haec dicendi forma multis illis sententiis a paroemiographis saepe allatis, quibus per metaphoras ea, quae fieri nequeunt, significantur, quare *ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων* addi solet, veluti *νεφέλας ξαίνειν, πλίνθους πλύνειν, εἰς ὕδωρ σπείρειν* multaque alia. (v. inprimis Paroem. 1. 342 sq.) Apparet tales sententias in praeceptorum formam redacta hortari, ne in vetitum nitamur. Eadem de causa Artemidorus 2. 23 (p. 116. 3. 9. X) fortunam adversam portendi dicit, si quis in somniis per terram navigare sibi videatur.

Forsitan item ad praecepta moralia pertineat, quod apud Jambl. V. P. 154 inter symbola invenimus: 71) *ἑφθὸν μὴ ὀπτᾶν,* quod, nisi frugalitatem in edendo commendat, quid sibi velit ignoro.

Deinde de nonnullis aliis symbolis latius non disserui ideo, quod non ex superstitione populari, quae mihi maxime cordi fuit, orta sunt, sed quia in eis placita Pythagoreorum aperte pugnant cum priscis religionibus. Sunt autem haec: 72) *τοῖς μὲν οὐρανίοις θεοῖς περισσὰ θύειν ἄρτια δὲ τοῖς χθονίοις.* Porph. V. P. 38. Plut. Num. c. 14. Hoc praeceptum abhorret ab usu communi Graecorum, apud quos numeri impares, praecipue numeri sacri III IX VII et ipsi et inter se coniuncti maximi erant momenti in cultu inferorum v. Diels, sib. Bl. 40 sq. Iam recordemur Pythagoreos finitum atque impar pro principio meliore, contra infinitum et par pro peiore habuisse (Aristot.

Eth. Nic. 1106 b 29. Simpl. in Arist. de caelo 386. 20 Heib., Porph. ad hunc locum. In tabula rerum contrariam Arist. Met. 986a 24. Plut. de Is. 370E, haec est ratio *πέρας: ἄπειρον = περιττὸν : ἄρτιον = ἀγαθὸν : κακόν*). Qua cum essent opinione Pythagorei facere non potuerunt, quin deis caelestibus ut perfectioribus numerum imparem, inferis parem in sacrificando tribuerent, v. Servium ad Verg. Buc. 8. 75: „numero deus impare gaudet“: (versus idem exstat Ciris 373, et hic et illic in rebus magicis describendis) aut quicumque superorum iuxta Pythagoreos, qui ternarium numerum perfectum (ut perf. Thilo) summo deo adsignant ... et impar numerus immortalis quia dividi integer non potest, par numerus mortalis quia dividi potest. — Videmus aperte ad Pythagoreos hunc morem referri, non ad consuetudinem communem, neque mirandum est Servium ad Aen. 3. 305 de eodem more agentem Pythagoreorum mentionem non facere, quoniam iam in Bucolicis id fecerat. Qui esset verus sensus illius loci Servium non fugit, alluditur enim sine dubio ad Hecatam, quae inprimis rebus magicis praeesse putabatur. Quod Plato Leg. 717A sq. dicit: *πρῶτον μέν, φαμέν, τιμὰς τὰς μετ' Ὀλυμπίους τε καὶ τοὺς τὴν πόλιν ἔχοντας θεοὺς τοῖς χθονίοις ἄν τις θεοῖς ἄρτια καὶ δεύτερα καὶ ἀριστερὰ νέμων ὀρθότατα τοῦ τῆς εὐσεβείας σκοποῦ τυγχάνοι, τοῖς δὲ τούτων ἄνωθεν τὰ περιττὰ καὶ ἀντίφωνα τοῖς ἔμπροσθεν ῥηθεῖσι νῦν δὴ* debetur auctoritati Pythagoreorum, quam saepissime in illo Platonis opere invenimus. (Locum Platonis Plut. de Is. c. 26 manifesto errore explicare conatur numerum parem ad ancipitem daemonum naturam referens.)

73. 74) *Ἀφροδίτῃ δέ τι* (*δὲ δεῖν* Nauck) *θυσιάζειν ἕκτῃ. διὰ τὸ πρῶτον τοῦτον τὸν ἀριθμὸν πάσης μὲν ἀριθμοῦ φύσεως κοινωνῆσαι, κατὰ πάντα δὲ τρόπον μεριζόμενον ὅμοιον λαμβάνειν τήν τε τῶν ἀφαιρουμένων καὶ τὴν τῶν καταλειπομένων δύναμιν. Ἡρακλεῖ δὲ δεῖν θυσιάζειν ὀγδόῃ τοῦ μηνὸς ἱσταμένου σκοποῦντας τὴν ἑπτάμηνον αὐτοῦ γένεσιν.* Jambl. V. P. 152. Ne haec quidem praecepta conveniunt cum usu Graecorum. Ducebant sane dies quosdam maxime idoneos ad sacra facienda certis deis, qui plerumque illis diebus nati esse ferebantur, velut, pauca ex multis promo, Apollini die I vel VII vel XX (Schol. in Aristoph. Plut. 1126. Plutarch. qu. conv. 8. 1. 2. Procl. in Hesiodi Op. 772. 798. Etym. m. s. v. *Εἰκάδιος*) Mercurio I vel IV (Porph. de abst. 2. 16. Procl. in Hes. Op. 772. Plut. qu. conv. 9. 3. 2. Schol. in Arist. Plut. l. c.) Neptuno II vel VIII (Schol. in Arist. Nub. 616. Procl. l. c. v. 788) Minervae III vel XIII vel XV vel XXVII (Tzetz. Lyc. 519. Procl. l. c. 778. Schol. in Il. Θ 38) Dianae VI (Schol. in Arist. Plut. 1126. Diog. L. 2. 44. Procl. l. c. 787). Contra qui Veneris et Herculis dies sacri hic nominantur

differunt ab eis, qui illis in cultu Graecorum tribuebantur. Veneris enim erat dies IV (Procl. l. c. 802. Menander ap. Athen. 14. 659 D) Herculis item IV (Procl. l. c. 772. Tzetz. Chil. 12. 508. Eustath. ad. Il. p. 1353. 5. Phot. s. v. *Τετράδι γέγονας*). Quamobrem opinor haec praecepta ludis numerorum originem debere neque usquam extra scholam Pythagoreorum, quibus talia grata erant, observata esse. Plena sunt huiusmodi doctrinae Arithmetica quae dicuntur Theologumena, quibus tamen Herculi diem IV (p .4. 24 Ast.), quo natus sit, dari notandum est.

75) Sententiam *προτίμα τὸ σχῆμα καὶ βῆμα τοῦ σχῆμα καὶ τριώβολον* quam Jambl. Protr. 21 inter symbola profert, praetermisi, cum non cohaereat cum eo, quod ego in symbolis tractandis maxime spectavi. Est enim nihil aliud nisi proverbium *σχῆμα καὶ τριώβολον* (Apostol. Cent. 15. 85c P. 2. 650) inepte amplificatum. Cuius de origine Jambl. V. P. 21 sq. Apollonium Tyanensum secutus, ut Rohdio videtur, insulse fabulatur neque maior fides habenda est Eustathio ad Hom. Il. N. 636 p. 951. 49.

VITA.

Natus sum Fridericus Guilelmus Victor Boehm Berolini a d. IV. Non. Sept. a. MDCCCLXXX patre Guilelmo, Sophiae scholae magistro et philosophiae doctore, matre Paulina e gente Reinhardt. Patrem mihi infanti praematura morte ereptum esse conqueror. Fidei addictus sum evangelicae. Septem annos natus Sophiae gymnasium Berolinense adii, quod administrantibus Guilelmo Paul tum Theodoro Dielitz viris de me optime meritis florebat semperque floreat. Anno MDCCCIC maturitatis testimonio instructus inter cives Universitatis Litterariae Friderico Guilelmae receptus sum. Studiis me dedi cum philosophicis et historicis tum philologicis. Examen rigorosum sustinui die VIII mensis Decembris anni MDCCCCIV. Docuerunt me viri doctissimi: Delbrück, Diels, Heinze, Helm, Hirschfeld, Kékulé de Stradonitz, Kirchhoff, Klebs, Kübler, Paulsen, Roethe, Schoene, Schulze, Schumann, Thomas, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorf. Proseminarii philologici per quinque semestria sodalis fui ordinarius. Exercitationibus interfui philologicis Helmii historicis Hirschfeldii archaeologicis Kékulei de Stradonitz palaeographicis Schoenii philosophicis Paulseni. Quibus viris omnibus inprimis Dielsio gratias hic ago quam maximas semperque gratum servabo animum.